# AN JURE INTER SCEPTICOS
# GASSENDUS
## NUMERATUS FUERIT

« Media quidem via inter Scepticos et Dogmaticos videtur tenenda. »
(*Syntagma philosophicum, Logica.* II, v; *Op.*, t. I, p. 71.)

HANC THESIM
FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS PROPONEBAT

HENRI BERR
Scholae Normalis olim alumnus

LUTETIAE PARISIORUM
EDEBANT HACHETTE ET SOCII
VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCXCVIII

# AN JURE INTER SCEPTICOS

# GASSENDUS

# NUMERATUS FUERIT

COLUMBARIIS
Ex Typis Pauli Brodard.

# AN JURE INTER SCEPTICOS
# GASSENDUS
## NUMERATUS FUERIT

« Media quidem via inter Scepticos et Dogmaticos videtur tenenda. »
(*Syntagma philosophicum*, *Logica*. II, v ; *Op.*, t. I, p. 71.)

---

HANC THESIM
FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS PROPONEBAT

HENRI BERR
Scholae Normalis olim alumnus



LUTETIAE PARISIORUM
EDEBANT HACHETTE ET SOCII
VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCXCVIII

OPTIMIS ATQUE EGREGIIS

VIRIS

O. GRÉARD

ET

E. BOUTROUX

PARVULUM HOC DEVOTISSIMI ANIMI PIGNUS

D. D. D.

# INDEX RERUM

# AN JURE INTER SCEPTICOS
# GASSENDUS
# NUMERATUS FUERIT

---

## PROOEMIUM

Nomine potius quam reipsa notum esse Gassendum nemo, ut mihi videtur, infitias ire possit. Nonnulli forsitan suspicati sunt operae pretium fore si quis philosophi illius vitam et scripta penitus indagaret : numquam autem adhuc contigit ut materiam illam aliquis inter philosophicae vel litterariae rei scriptores totam amplecti susciperet — utpote quae, cum multas ob causas tum praesertim ob librorum documentorumque copiam incredibilem, nescio quid fastidiosi habeat. Ego vero contendere ausim septimi decimi seculi historiam tum demum illustrem admodum evasuram cum sibi partes assumpserit aliquis accurate inquirendi quid egerit cogitaveritque Gassendus et cujus momenti ejus vel scripta, vel sermones, vel exempla apud aequales posterosque fuerint.

Septimum decimum illud seculum plane aliud plerisque diu visum est atque in re nunc exstitisse constat. Nemi-

nem profecto fugiebat unquam seculo illo ineunte libertatis mox defecturae crescentisque in dies auctoritatis certamen acerrimum fuisse : vulgo autem credebatur, sive quod ad cogitata spectat sive quod ad rem publicam, retundi omnino potuisse libertatis studium coercerique propensionem illam quae vitio tum vertebatur atque hoc verbo veluti nota afficiebatur : « esprit particulier [1] ». Si qui conjiciebant non omnes sub ipso Ludovico XIV de omnibus rebus consensuisse, nec tenore, ut ita dicam, servato seculum ad finem versisse, satis habebant vel uno verbo vel paucis libertatis vindicatores designare. — Exempli causa, nihil aliud in libro illo pernoto qui inscribitur *l'Ancien Régime* nisi brevissimam mentionem invenimus de « scepticis eis perpaucis quorum coetus, Ludovico XIV regnante, oculos prope fugiebant [2] ». In eo acutissimi ingenii opere, *Port-Royal*, de occulta licentia plures lineas legere est, dignas sane quae memorentur sed tamen cursim scriptas [3].

Ecce autem his temporibus nonnulla edita sunt opera quibus omnino patet inter sextum decimum seculum atque octavum decimum nullum quasi hiatum exstitisse, neque unquam aut interceptam fuisse aut intercipi posse

1. Vide Grousset, *Œuvres posthumes, les Libertins*, p. 74.
2. Vide Taine, p. 375.
3. Sainte-Beuve, lib. III, cap. XVI. « Le XVII[e] siècle, bien considéré, laisse voir l'incrédulité dans une tradition directe et ininterrompue; le règne de Louis XIV en est comme miné. La Fronde lui lègue un essaim de libres esprits émancipés, épicuriens ardents et habiles, les Lionne, les Retz, de vrais originaux de don Juan; la Palatine, Condé et le médecin-abbé Bourdelot, complotant en petit comité pour brûler un morceau de la vraie croix; Ninon, Saint-Evremond, Saint-Réal; les poètes Hesnault, Lainez et Saint-Pavin; Méré, Mitton et Des Barreaux; Mme Deshoulières, que Bayle a pu rattacher à Spinoza. Le monarque devient rigoureux, le siècle se renferme; c'est l'heure du très hardi et très prudent La Bruyère. Mais consultez les Dangeau, glissez-vous dans les coulisses. Le libertinage d'esprit prend déjà les formes de la Régence. La jeune cour a des infamies païennes qu'il faut céler. »

rerum humanarum seriem. Attamen aetas illa nondum ita introspecta fuit ut cunctas in se latentes quodammodo venas exhibuerit. Eum fallat opinio si quis credat omnes libere cogitandi auctores recognosci simul atque « libertini » recensentur : aliud est libera cogitatio, aliud « libertina » agendi ratio. Hoc quidem nuperrime [1] illustre admodum factum est, — quod jam plures compertum habebant, — non solum ad mores sed — initio praesertim — ad cogitata pertinuisse hoc verbum « libertinage » : sed vivendo tamen potius quam cogitando sese libertinos gerebant [2]. Hi imprimis libertini habebantur et habendi sunt qui se sui juris faciebant nescio quo naturae instinctu ac saepius voluptatum appetitione, quique « a posteriori » rationem moribus obtendebant. Primum genio indulgere et omnibus illecebris trahi, dein praecepta qualiacumque proferre, id est libertinorum modo agere. — At non defuerunt qui vi atque acumine ingenii sese in libertatem plus minus vindicaverint, qui nihil antiquius habuerint quam ut falsas e mente sua opiniones executerent, nec tamen ideo sibi morem gerere assueverint. Hi, ut seculi septimi decimi verbum quoddam usurpem, « esprits forts » potissimum vocandi sunt, vel, ut nostri vocabulo utar, « libres penseurs ». — Praeterea multi veritatis indagatores, philosophiae nonnunquam incuriosi et ambitionis expertes, satis habentes si modo hoc modo illud quaesiverint confirmaverintve, memorandi sunt, magis quia scientiam, mentis quodam praesagio, plurimi

1. Perrens, *les Libertins en France au XVII[e] siècle*, pp. 8 sqq.

2. V. A. Deschamps, *la Genèse du scepticisme érudit chez Bayle*; Janet, *le Spinozisme en France*, in *Rev. phil.*, janv. 1882; Grousset, *op. cit.*; Perrens, *op. cit.*; Denis, *Sceptiques et libertins de la 1[re] moitié du XVII[e] s.*; Demogeot, *la Littérature française au XVII[e] siècle*; Fournel, *la Littérature indépendante au XVII[e] siècle*; Ad. Dupuy, *Hist. de la litt. franç. au XVII[e] s.*; Brun, *Cyrano de Bergerac....*

fecerunt futurosque profectus maturaverunt quam quod liberi ipsi evaserint.

Ne multa, seculum illud — si quidem ex ea parte prospicitur qua sibi, ut ita dicam, dissidet, et recentiora in se fert tempora — varios etiam adspectus exhibet. Non leves solum animi — futilitate ipsa et libidinibus — seculi sui instituta labefactant, sed graves quoque — meditatione ac labore. Minime noti sunt — silvam licet pertinentium ad eos documentorum nostrates aggesserint — coetus illi doctorum eruditorumque virorum, latini sermonis — utpote qui gentium commercio prodesset — fautorum, quibus inde hoc nomen accessit « gens latina[1] », et quorum ope nixi tantum posteri profecerunt.

Ratum equidem jamdudum habeo et in dies magis habui Gassendum optimum veluti centrum praestare e quo prospiciatur quidquid, septimo decimo seculo agente, acceptis institutis cogitandique formulis repugnaverit. Omnes si recenseas amicos qui Gassendi commercio usi sint et discipulos qui doctrinam ejus hauserint aut libros evolverint[2], sectatores denique illos qui praecepta saepius detorta arripuerint aut per nomen philosophi juraverint, — philosophiae ejus omnino ignari, — maximas eum egisse partes necesse est ut compertum habeas. Per-

1. « M. de Sorbière raconte qu'il eut autrefois beaucoup de peine à faire résoudre un homme disert à lui permettre d'emploïer dans sa traduction de la Politique de Hobbes le mot de Système... non plus que celui de Syntagme. Cependant Système est demeuré : mais Syntagme n'a pas encore passé les bornes du *Païs Latin*... » Vigneul-Marville, *Mém. de litt.*, t. I, p. 108. — « Le baron d'Arques avoit une bibliothèque de romans fort ample. Notre précepteur qui n'en avoit jamais lu dans le *pays latin*... en devint lui-même (si) féru... » Scarron, *Roman comique*, cap. XIII. Saepe ea verba — quod nobis probandi copia sit — hac acceptione usurpata sunt.

2. Vide Bernier, *Au Lecteur*; Sorberii *Praefationem de vita et moribus Gassendi*; Gassendi *Epistolas* (*Op.*, t. VI).

saepe miratus sum cur in operibus, dignis ceterum quae magni aestimentur, Gassendo aut nullum aut perexiguum locum tribui cernerem[1]. Tot et tanta sunt contra admirationis documenta quam movere ille quondam valuit, ut incredibile primum videatur oblivione tanta eum obrui potuisse. Innumeros viros summa in exspectatione fuisse quoties Gassendus opus aliquod incuderet, summo studio quidquid ediderit exceptum fuisse, omnia ejus opera iterum atque iterum typis mandata fuisse[2], posthuma vero edenda egregiis pluribus viris per tres annos prope sine intermissione curae fuisse[3], et — licet nobis sex illa latina volumina *in-folio* aegerrime tantum legi posse videantur — paulo post ea publicata nusquam vel unum exemplar apud bibliopolas repertum fuisse[4] : omnia haec, mira fortasse, ex epistolis innumeris aut a Gassendo aut ad Gassendum aut de Gassendo scriptis confirmare liceat. Hic documentum quoddam afferre satis habebo quo, fatebor equidem, permotus sum, digito, ut ita dicam, tangens mirationem illam qua Gassendus animos quon-

1. Vix reperire est Gassendi nomen apud recentiores qui litterarum scripserunt historiam : Lanson, *Hist. de la litt. fr.*, p. 396; Henry, *id.*, pp. 405, 425; Brunetière, *Manuel*, p. 171 (cf. *Ét. critiques*, 4e série; Faguet, *Cyrano de Bergerac*, *Rev. des cours et conf.*, 1895, juil.) : plura leguntur, sed non quae sufficiant, apud Robert, *Hist. de la litt. fr.*, t. II, pp. 171-172; Petit de Julleville, *Hist. de la langue et de la litt. fr.*, t. IV, pp. 532-533. Imo, sunt, inter philosophiae historicos, qui ne nomen quidem Gassendi retulerint : ex. causa, Lewes, Fouillée. Apud Weber nihil praeter nomen memoratum invenias.

2. V. Bougerel, *Vie de P. Gassendi*, 1737; p. 461, *Catalogue des ouvrages de P. G.*

3. V. *Op.* t. I, *Praefationes*; *Lettres* de Chapelain, *Lettres* de Guy Patin....

4. Capellanus ad Bernerium, 13 nov. 1661 (*Lettres*, ed. Tamizey de Larroque; t. II, p. 170) : « M. de Monmor vous fait ce présent d'Épicure (*De vita, moribus et placitis Epicuri*), parce qu'on n'a pas trouvé à Paris à vendre les six volumes de nostre macharite, M. Gassendi, dont l'impression a esté procurée par M. de Monmor à Lion, et dont il n'y a plus d'exemplaires que dans les biblioteques ». Post Bernerii *Compendium*, *Opera* iterum Florentiae edita sunt, 1727.

dam perculit. Cum philosophi mei editiones in Duacensi Bibliotheca recenserem, in ultima opusculi illius pagina quod *Exercitationes adversus Aristoteleos* inscribitur (ed. anno 1649, Amstelodami, apud Lud. Elzevirium) notulam eam inveni : *Perlegi hunc libellum Dec. 27 Pomeridiano post 3<sup>tiam</sup> horam et Dec. 28 Aurora 1659*. Quantum lectione illa devinctus fuerit lector ignotus his verbis olim testari et horis quibus libello oblectatus sit quasi album calculum adjicere voluit.

Quas ob causas Gassendus e summo illo loco dejectus fuerit ubi steterat et cur suum ei apud posteros nequaquam tributum sit, non hic ostendere in animo est : nihil autem illi majori detrimento evasit quam sermo ille latinus — quo usurpato late primum opera ejus pervulgata erant[1] sed qui deinde ea quasi veterno illevit — et, ut jam dixi superius, congeries illa documentorum qua quidem philosophus meus opprimitur. Quartum decimum jam annum ego Gassendi commercio familiariter utor. Non tantum quidquid ediderit perlegere volui, sed si quid inediti in bibliothecarum umbra jaceret, id eruere et in lucem proferre decrevi — modo operae pretium esset : non enim inedita documenta ut quae inedita sint plurimi facienda esse arbitror. Cum in Galliae Bibliothecis, tum in Europae plerisque, aut quaesivi ipse aut per amicos quaerendum curavi quod ad Gassendum et, ut graecum vocabulum usurpem, τοὺς περὶ Gassendum pertineret[2].

1. Non *apud exteros* solum, | Sed et in patria sua, | Amorem, venerationem | Meritus, consequutus — scripserunt argute discipuli interioris notae in epitaphio. (Bougerel, *op. cit.*, p. 459.)

2. Hic gratias agere debeo maximas optimo illi atque eruditissimo viro Tamizey de Larroque. Duodecimum jam prope ante annum, me, Gassendo deditum, Peireskii epistolarum editor hospitem accepit, suorum ut librorum manuscriptorumque omnium evolvendorum mihi copiam faceret. Sive hospitio illo sive tot tantique pretii operibus plurimum

Segetem illam quam paulatim collegi in usum, quoad vires suppetent, jam convertam. Virum ipsum quasi vivum inducere; auctorem explorare et notum facere — cum philosophum, tum etiam scientiarum eruditionisque fautorem atque promotorem, imo humaniorum disciplinarum studiosum[1]; locuples illud ingenium totum excutere, pro virili portione conabor. Quidquid, in seculo XVII, ex eo pendeat, quomodo et quatenus ei haereat ostendere; studia semper latius proferendo, omnes illas venas discernere atque perspicuas facere quibus confluis seculi historia constet, et illos qui a Gassendo aut discrepuerint aut abhorruerint eis qui a Gassendi parte steterint opponere; ita demum opus quoddam inchoare cui hic titulus inscribi possit : « Psychologie historique du XVIIe siècle », quodque ipsum ad disciplinam illam se referat quae nobis « synthèse historique » apte vocari posse videtur[2] : hoc nobis, absit tanto proposito invidia, destinatum est.

Nolimus autem longius prospicere, et ad carceres, ut dicitur, a calce revertamur. Hic quoniam immensam illam materiam non exhaurire sed vix tantum delibare possumus, laborem nostrum circumscribamus. — De Gassendo utpote philosopho agemus; non autem universam ejus philosophiam amplectemur. Si enim totam hujus doctrinam secundum operum seriem explicare aggrediamur, ab *Exercitationibus* usque ad posthumum illud *Syntagma* — quod plerumque solum cum *Objectionibus*

de me meritus est vir ille eximius cujus integra vita optimis litteris atque optimarum litterarum cultoribus devota fuit.

1. V. epitaphium, Bougerel, *op. cit.*, p. 458.
2. V. gallicam thesim, pp. 417-433.

*ad Cartesium* spectatur [1]; nec tantum philosophum intueri qui sui juris esse conatus sit, sed etiam philosophiae historicum qui omnes fere doctrinas comprehenderit, qui multos exstirpaverit errores et inter diversas superiorum sententias veritates inclusas expromere contenderit, id modum excedat quem opusculo illi assignari expedit. Non omnia hic de philosopho nostro dicere studebimus, sed summam : quid de cognitione humana et mentis quasi captu senserit Gassendus inquirere velim. Nihil enim, si quis philosophum quemlibet pernoscere gestiat, antiquius ei esse debet quam illius sententiam reperire de eo quod gallice dicitur : *problème de la connaissance.*

Inter se magnopere dissentiunt plerique eorum qui de Gassendo scribere dignati sunt. Illum aliis pium christianumque vere philosophum fuisse videtur [2], aliis epicureum et qui corpoream esse animae naturam pra rato habuerit [3]. His scientiam, illis metaphysicam eum potius feliciusque coluisse constat [4]. A multis tandem sive aequalibus sive posteris in scepticorum numerum adscriptus est. Notissimus est ille Bernerii locus [5] ubi opinionem istam

1. P.-Félix Thomas, *la Philosophie de Gassendi*, thèse.

2. V., ex. causa, Taxil, *Oraison funèbre de P. G.* (ed. Tamizey de Larroque); Bougerel, *op. cit.*; Martin, *Hist. de la vie et des écrits de P. G.*; Renouvier, *Manuel de Phil. mod.* (p. 171, note 1); Barneaud, *Nouv. Ann. de Phil. cath.*, 1881.

3. V. praesertim Lange, *Hist. du matérialisme*; Soury, *Bréviaire de l'Hist. du mat.*

4. Confer Duval-Jouve (*Dict. des Sciences phil.*) cum de Gérando, *Hist. comparée des Syst. de Phil.*, ac praesertim Mabilleau, *Hist. de l'Atomistique.*

5. *Abrégé de la Phil. de M. G.*, *Au Lecteur* : « I'espere... qu'on se desabusera à l'égard de ceux qui le veulent faire passer pour un simple Historien de la Philosophie, et mesme pour estre un peu trop sceptique; car il a veritablement rapporté les diverses opinions des Philosophes, persuadé qu'il estoit que pour porter un jugement solide sur une matière philosophique, il falloit premierement avoir en veüe tout ce que les Philosophes en ont pensé, mais il ne faut que le suivre pour voir qu'il n'en demeure pas là : Et s'il se sert souvent de ce mot *videtur*, ce n'est pas qu'il ne fasse assez connoître où il tend, et ce qui luy semble plus

refellere conatur neque omnino refellit : quae quidem opinio apud Saint-Evremond [1] patescit alicubi, necnon apud Bayle [2], aut apud Voltaire [3] — in satira illa, exempli causa, cui hic inscribitur titulus : *les Systèmes*. An jure Gassendus scepticus habitus fuerit atque his etiam tem-

probable; mais c'est que considerant que nos veües sont trop courtes pour penetrer jusques aux premiers Principes, et parvenir aux causes prochaines et immediates, il croyoit qu'il y auroit trop de presomption à decider si magistralement des choses comme ont fait quelques-uns de nos Modernes ».

1. «... J'eus la curiosité de voir Gassendi, le plus éclairé des Philosophes, et le moins présomptueux. Après de longs entretiens où il me fit voir tout ce que peut inspirer la Raison », « il se plaignit que la Nature eût donné tant d'étenduë à la Curiosité, et des bornes si étroites à la Connoissance : qu'il ne le disoit point pour mortifier la Présomption des autres, ou par une fausse Humilité de soi-même, qui sent tout-à-fait l'Hypocrisie : que peut-être il n'ignoroit pas ce que l'on pouvoit penser sur beaucoup de choses; mais de bien connoître les moindres, qu'il n'osoit s'en assurer. » *Jugement sur les Sciences où peut s'appliquer un Honnête-homme*, *Œuvres* (1711), t. I, p. 161.

2. « On remarque que les plus grands hommes des autres sectes ont penché vers le Pyrrhonisme. Car, pour ne toucher pas à ces derniers siècles, où un Michel de Montagne, un La Mothe Le Vayer l'ont ouvertement soutenu, et le docte Mr Gassendi couvertement; ne sait-on pas, etc.? » *Lettres* (1714), t. I, p. 5.

3. « Lorsque le seul puissant, le seul grand, le seul sage,
De ce monde en six jours eut achevé l'ouvrage,...
J'ai lu chez un Rabbin que cet être ineffable
Un jour devant son trône assembla nos docteurs,
Fiers enfants du sophisme, éternels disputeurs;
Le bon Thomas d'Aquin, Scot, et Bonaventure;
Et jusqu'au Provençal, élève d'Épicure;
Et ce maître René, qu'on oublie aujourd'hui,
Grand fou persécuté par de plus fous que lui....
L'*incertain* Gassendi, le bon prêtre de Digne,
Ne pouvait du Breton souffrir l'audace insigne....

In notis Domini de Morza (Voltaire) hoc legere est : « Gassendi, qui ressuscita pendant quelque temps le système d'Épicure..... Mais... il avoue l'ignorance éternelle de l'homme sur les premiers principes des choses; et c'est beaucoup pour un philosophe.... Descartes était le contraire de Gassendi : celui-ci cherchait, et l'autre croyait avoir trouvé.... » — Cf. *Siècle de Louis XIV* (*Catalogue de la plupart des écrivains français*); P. Daniel, *le Voyage du monde de Descartes* (in Bouillier, *Hist. de la Phil. cart.*, t. I. cap. XXVII) : « Gassendi était un homme qui avait autant d'esprit que M. Descartes, une bien plus grande étendue de science et beaucoup moins d'entêtement; il paraît être un peu pyrrhonien en métaphysique, ce qui, à mon avis, ne sied pas mal à un philosophe ».

poribus interdum habeatur[1]; utrum desperaverit de facultatibus humanis finesne scientiarum in immensum prolatum iri seque jam ipsum nonnulla firma cognitione tenere arbitratus sit : operae forsitan pretium est diligenter indagare. Quod quidem hic assumo peculiariter agendum, — ut fieri debet nec factum est unquam, — tempora et opera discernendo et cogitationis tenorem accurate sequendo.

1. Denis, *Sceptiques et libertins dans la première partie du XVII<sup>e</sup> siècle.*

# INDEX LIBRORUM

## QUI AD GASSENDUM, UTPOTE PHILOSOPHUM MODO, PERTINENT

*Biographie universelle* (de Gérando); *Biographie générale* (Aubé); *Dictionnaire des sciences philosophiques* (Duval-Jouve); *Dictionnaire des littératures* (Vapereau); *Grande Encyclopédie* (Léon Sagnet); *Encyclopaedia Britannica* (prof. Adamson). — In his articulis indices invenias. De Gérando atque Aubé digni sunt imprimis qui consulantur.

Opera quorum hic mentionem habebimus secundum tempora recensebimus et regiones, ita ut index ille « de varia Gassendi fortuna » quasi compendium praestet.

Bernier, *Abrégé de la philosophie de Gassendi* (1674, 1 vol.; 1678, 7 vol.).

Baillet, *Vie de Descartes* (1691), passim; Perrault, *les Hommes illustres du XVIIe s.* (1697), t. I, pp. 63-65; Bayle, *Dictionnaire* (1697, 2 vol.; 1702, 3 vol.), art. *Epicure, Leucippe, Peiresc, Pyrrhon....*

Gaultier-Charleton, *Philosophia Epicureo-Gassendo-Charletoniana* (Lond., 1654).

Bougerel, *Vie de Gassendi* (1737); Goujet, *Mém. hist. et litt. sur le Collège Royal de France* (1758), IIa part., IIIa class., pp. 55-58; Diderot, *Encyclopédie* (1751-1772), art. *Epicure*, t. V (cf. t. XIII, chev. de Jaucourt, art. *Provence*, et t. IV, Formey, art. (*physique*), *corpusculaire*; P. Menc, *Éloge de Gassendi*, 1767; Camburat, *Abrégé du syst. de Gassendi* (1770); Antoine Savérien, *les Phil. modernes* (1773), t. III, pp. 107-190.

Brucker, *Hist. critica Philosophiae* (1743), t. IV, pp. 510-529 : propter eruditam atque « eclecticam » philosophandi rationem Gassendum plurimi facit, maximusque, eo auctore, apud Germanos Gassendo tribuetur locus. Tiedemann, *Geist der spekulativen Philosophie* (1797), t. VI, cap. III, pp. 64-77 : Bernerii *Compendium* adhibet.

Buhle, *Histoire de la phil. moderne*, trad. Jourdan (1816; germ. ed., 1800-1805), t. III, pp. 73-191 : Gassendi opera quaedam fuse exponit. Tennemann, *Geist der Philosophie* (1817), t. X, pp. 141-174 (cf. *Manuel*, trad. Cousin, t. II, pp. 71-73) : ex *Syntagmate* imprimis Gassendi scientiam eclecticumque ingenium illustrat. Feuerbach, *Geschichte der neueren Philosophie von Bacon bis Spinoza* (1833), in *Sämmtliche Werke*, t. IV (1847), pp. 114-130 : Gassendum, licet sibi eum discrepare ostendat, laudibus ornat et « Selbstdenker » arbitratur. Schaller, *Geschichte der Naturphilosophie* (1841), t. I, pp. 113-214 : in physicis immoratur (pp. 122-214) empiricumque eum ad corpoream animae doctrinam, non sibi constantem, vergere contendit. Ritter, *Geschichte der christlichen Philosophie* (1851), t. VI, pp. 543-571 : Gassendo utpote empirico scepticoque incumbit.

Dugald Stewart, *Consid. générales sur les progrès de la métaphysique...*, trad. Buchon (1820), II[a] part., cap. I, pp. 32, 56, 160, 223 (cf. Buchon, pp. XIII-XIV) : Gassendi in posteros merita declarat. Cf. Hallam, *Histoire de la litt. de l'Europe pendant les XV*[e], *XVI*[e] *et XVII*[e] *siècles*, trad. Borghers (1840), t. III et IV, passim.

De Gérando, *Histoire comparée des systèmes de philosophie* (1[a] ed., 1804), ed. 1847, II[a] part., t. II, pp. 93-124, 362; Damiron, *Essai sur l'hist. de la phil. en France au XVII*[e] *s.* (1846), t. I, pp. 378-503 : ab his auctoribus — veluti ab aliis, apud Germanos Britannosve, ejusdem temporis — quam varium sit et locuples Gassendi ingenium ostenditur, non autem ita operum series explicatur ut doctrina ejus omnino pateat.

Jam apud Eclecticos plerosque Cartesio omnino postponitur : Cousin, *Histoire gén. de la philosophie* (ed. 1884), pp. 319-320; Nourrisson, *Tableau des progrès de la pensée humaine* (1858), pp. 309-315; Bouillier, *Histoire de la phil. cartésienne* (ed. 1868), t. I, cap. XI, XXVI. — Renouvier, *Manuel de la phil. moderne* (1842), pp. 171-182, prorsus eum sibi contradicere asserit.

Abbé Martin, *Histoire de la vie et des écrits de P. Gassendi* (1854); Jeannel, *Gassendi spiritualiste* (1859); Mandon, *Étude sur le Syntagma philosophicum de Gassendi* (1858), *De la Philosophie de Gassendi* (1861); Ch. Barneaud, *Études sur Gassendi* (*Nouv. ann. de phil. cath.*, 1881, t. III et IV). Apud hos auctores Gassendus extollitur sed christianae praesertim fidei assertor habetur. — Cf. Haffner, *Grundlinien der Geschichte der Philosophie* (1881), pp. 747-748.

Lange, *Histoire du matérialisme*, trad. Pommerol (1877), t. I, pp. 229-243, Gassendum in maximo pretio habet, sed auctor est praesertim eum philosophis adscribendi qui corpoream esse animam professi sint. — Cf. Soury, *Bréviaire de l'histoire du matérialisme* (1880), pp. 371-419; A. Lefèvre, *la Philosophie* (1879), pp. 305-307.

Kuno Fischer, *Geschichte der neueren Philosophie* (1865), t. I,

I[a] part., p. 465 : Ueberweg, *Grundriss der Gesch. der Phil. der Neuzeit* (1868), p. 15 (secundum Lange), bearbeitet von Heinze (1883), p. 18; J.-E. Erdmann, *Gr. der Gesch. der Phil.*, t. II (1870, 2[a] ed.), passim, bearbeitet von Benno Erdmann (1896), t. I, p. 557; Windelband, *Die Gesch. der neuer. Phil.* (1878), t. I, pp. 19-20 (pauciora de Gassendo in *Gesch. der Phil.*, 1892); Falckenberg, *Gesch. der neuer. phil.* (1886) (secundum Lange); Dühring, *Krit. Gesch. der Phil.* (4[a] ed., 1894), p. 234. Ei auctores paucis verbis, opinione quadam accepta potiusquam operibus ipsis perlectis, Gassendum judicant. — Cf. Κοτζια, Ιστορια της Φιλοσοφιας (1878), IV, pp. 128-130.

Hi postremo auctores seorsum citandi sunt :

Natorp, *Analecten zur Geschichte der Philosophie*, in *Philosophische Monatshefte* (1882), t. XVIII, pp. 570, 572-577 : de Gassendi scepticismo nonnulla recte notat.

P.-F. Thomas, *la Philosophie de Gassendi* (1889) : V. de hoc libro, *Syntagmatis* compendio, Barneaud, *Nouv. ann. de phil. cath.*, août 1889; Adam, *Rev. philos.*, janv. 1890; Beurlier, *Bulletin critique*, 1[er] sept. 1893.

Mabilleau, *Histoire de la philosophie atomistique* (1895), pp. 400-423 (cf. Kurd Lasswitz, *Geschichte der Atomistik* (1890 [1]), t. II, pp. 126-188; Pillon, *Année phil.* 1892, *Évolution de l'atomisme*) : de atomis apud Gassendum atque de hujus doctrina universe paginas scripsit luculentas [2].

Gassendi opera citantur pleraque ex editione Florentiae (1727) : *P. G. Opera omnia in sex tomos* (in-f°) *divisa curante Nicolao Averanio advocato Florentino. Opuscula* vero *philosophica* ex tomo III editionis Lugduni (1658) et *Disquisitio metaphysica* ex editione Amsterodami (1644).

Nominum gallicam figuram retineo quae latino modo immutata apud auctores seculi XVII nusquam reperi.

1. Idem, *Ueber Gassendi's Atomistik* in *Archiv für Gesch. der Phil.*, 1889, II, 3.

2. Audivi D. Boutroux de Gassendo in Facultate litterarum Parisiens disserentem, die 4 jun. 1890.

# CAPUT I

## DE SCEPTICIS INEUNTE SECULO XVII

Vulgatum est omnino, seculo XVI agente et ineunte seculo XVII, Pyrrhonis praecepta plurimum valuisse. Jamdudum animadverterunt historici animos — cum de religionis dogmatibus certaretur, cum antiquorum doctrinae reviviscerent ac novae gignerentur scientiae, cum, in dies, simul atque mundi cogitationis ipsius fines prolatarentur — notionum onere gravatos et systematum diversitate quasi distractos fuisse. Multi igitur ancipites agitabantur nec satis cernere poterant quibus principiis haererent.

Quare multis convenit id quod de amico suo a Motha Vayerio feliciter dixit alicubi Naudaeus : « Au milieu de sa nombreuse Bibliotheque il se voioit entouré de livres écrits en divers siécles, en diverses langues, dont l'un lui disoit blanc, l'autre noir. Frappé d'y trouver cette multiplicité, cette contrarieté d'opinions sur tous les points que Dieu a livrés à la dispute des hommes, il en vint à conclure, que la sceptique étoit de toutes les philosophies la plus sensée. Heureux ceux qui comme lui ne chancellent que dans les routes de l'histoire et de la phy-

sique! *Un doute éclairé peut quelque fois servir de flambeau pour s'y conduire.* Mais si le Pyrrhonisme étend ses droits jusque sur la morale, il ne sauroit qu'être l'auteur de tous les maux et le destructeur de toute société [1]. » Ultimis his verbis satis significatur — quod plane novimus — plurimos tunc mores labefactavisse et ad atheismum aperte processisse. Quod ad atheismum spectat nobis praeterire licebit : multa collegimus quae libertinorum audaciam confirment et libros de quibus mentionem supra fecimus quasi roborare valeant; sed nunc de meditata dubitatione res est nostra tantum.

Satis constat apud nostrates non graecos omnes scepticos, si penitus inspicias eos, consentire [2] : Sextus Empiricus, exempli causa, non eamdem ac Pyrrho cogitandi rationem praestat. Pyrrho enim ceterique omnes qui per Pyrrhonis verba jurant nihil noverunt praeter τὸ φαινόμενον et, morum praesertim studiosi, vitae quemdam tenorem commendant, omnis curae expertem, quo ἀταραξία efficiatur. Empirici autem, ut apud Sextum comperiendi copia est, simul atque τὰ φαινόμενα observabant, leges nonnullas experiebantur quibus constabat corpus quoddam scientiae. Quod si tamen nullam revera exsistere scientiam profitebantur, nequaquam mirum est : pluris scilicet scientiam, pluris veritatem faciebant quam ut scire se arbitrarentur quod observatione tantum atque experimentis tenerent.

Sexto decimo agente seculo, Pyrrho, Diogenis Laertii maxime opere notus, multum in usum adhibitus est :

1. Mascurat : vide *Œuvres de F. de la Mothe le Vayer* (ed. 1756), *Abrégé de la Vie de la M. le V.*, t. I, pp. 46-47.
2. V. Brochard, *les Sceptiques grecs.*

apud Rabelaesum, cum in scenam inducitur Trouillogan, « philosophe ephectique et pyrrhonien », verba illa Gargantua profert : « A ce que je voy, le monde est devenu beau filz, depuis ma cognoissance première. En sommes-nous là? Donc sont huy les plus doctes et prudens philosophes entrés au phrontistere et escole des pyrrhoniens, aporrheticques, scepticques et ephectiques...[1]. » — Sextus tamen Empiricus plura mox ad philosophiam contulit : *Hypotyposes pyrrhonicas* anno 1562 Henricus Stephanus, libros *adversus mathematicos* anno 1569[2] Gentianus Hervetus in latinum sermonem verterunt. Quare nonnulla a Sexto, licet ejus mentionem nusquam habuerit, mutuatum esse Montanum haud dubium est[3]. — Quod igitur apud antiquos evenerat, id, — partim antiquorum exemplo, partim necessitate quadam ac veluti lege cogitandi cujus vis temporum ratione magis ac magis aucta est, — id rursus effectum est : scilicet ut scepticorum dubitatio se paulatim ipsa retunderet atque vincere evaleret. Necessitas enim agendi et credendi hominem ita trahit quodammodo praecipitem ut ejus mens scepticis argumentis repugnet et cunctae demum dubitationes adjumento evadant vel Scientiae, vel dogmaticae Philosophiae, vel Fidei. Quo pluribus dubitandi causis animi primum morati sunt, eo firmioribus dein principiis aut majore vi haerere solent. Dubitationis veritas filia

1. V. *Pantagruel*, lib. III, cap. XXXVI (ed. Moland, p. 297). « Ses ouvrages peignent bien plutôt, selon nous, le scepticisme dans la société que dans l'auteur.... Panurge est l'homme éminemment sceptique; il cherche, il questionne et ne peut se déterminer. Il voudrait, mais il ne peut pas croire. Il sait toutes les langues, mais il ne sait pas ce qu'il lui convient de faire. Les anciens et les modernes, Virgile, la philosophie, la Bible, la médecine, les oracles et les dés l'attirent tour à tour et ne peuvent le satisfaire. Tous ces caractères conviennent au XVIe siècle... » Renouvier, *Man. de Phil. mod.*, p. 215.

2. Antwerpiae; anno 1601, Parisiis. — 3. V. Picavet, *l'Hist. de la Philosophie*, p. 14.

est, aut religio. Adeo enim est morae impatiens, adeo affirmare gestit mens humana ut se libenter occaecet saepissime et temere omnia scire malit quam aliqua prudenter. — Hic igitur de scepticis nostris ostendere velim breviter quatenus sceptici fuerint.

Apud Montanum profecto sententias colligere in promptu est quibus pateat eum humanam mentem scientiamque flocci fecisse : stultum esse hominem, insanum, mutabilem, non solum aliis sed sibi in dies, vel potius in momenta, discrepantem, ubicumque fere contendit [1] : « Iamais deux hommes ne jugerent pareillement de mesme chose ; et est impossible de veoir deux opinions semblables exactement, non seulement en divers hommes, mais en mesme homme a diverses heures [2]... ». Frustra igitur congeriem istam scientiarum exstruere laborant quae semper in eo est ut tota corruat. Montanum facile intelligas, ut qui litteris e teneris unguibus indulserit, minime autem coluerit scientias, eo magis illas suspectas habuisse quo magis tunc temporis proficiebant [3]. Praeterea, quia pro certo tenebat omnem notitiam e sensibus oriri, ideo etiam persuasum habebat nullam omnino esse scientiam. « Il (l'homme) ne peut fuyr que les sens ne soient les souverains maistres de sa cognoissance : mais

1. Vide, ex. causa, *Essais* (ed. Hachette), t. I, pp. 4, 130.
2. *Ibid.*, t. II, p. 297.
3. *Ibid.*, t. I, p. 359 (lib. II, cap. XII). « Le ciel et les estoiles ont bransle trois mille ans; tout le monde l'avoit ainsi creu, jusques à ce que Cleanthes le samien, ou, selon Theophraste, Nicetas syracusien, s'advisa de maintenir que c'estoit la terre qui se mouvoit.... Copernicus a si bien fondé cette doctrine, qu'il s'en sert tresreglement à toutes les consequences astrologiennes : que prendrons-nous de là, sinon qu'il ne nous doibt chaloir lequel ce soit des deux? et qui sçait qu'une tierce opinion, d'ici à mille ans, ne renverse les deux precedentes?... ». Vide infra (p. 360) : « Un homme *de cette profession de nouvelletez et de reformations physiques* me disoit... ».

ils sont incertains, et falsifiables à toutes circonstances.... Au cas que ce que disent les epicuriens soit vray, à sçavoir « Que nous n'avons pas de science si les apparences des sens sont faulses; » et que ce que disent les stoïciens soit vray aussi, « Que les apparences des sens sont « si faulses, qu'elles ne peuvent produire aulcune science : » nous conclurons, aux despens de ces deux grandes sectes dogmatistes, *Qu'il n'y a point de science*[1]. » Quae igitur homini via patet ad veritatem manu firma apprehendendam nisi sola fides, nisi fides christianorum? « C'est par l'entremise de nostre ignorance, plus que de nostre science, que nous sommes sçavants de ce divin sçavoir[2].... » Oportet igitur simplicem atque integram servemus fidem aut labefactatam restituamus, nullo excusso rejectove articulo : haec est Montani — verbo tenus — sententia[3].

Quod si vero reconditas illius sententias introspicere studebis, tibi hic atque illic apparebunt dogmaticae cujusdam doctrinae veluti semina. Incredibile est quantum Montanus naturae morem gerat, naturae legi atque imperio fidat : « Ie me desfie des inventions de nostre esprit, de nostre science et art, en faveur duquel nous l'avons abandonnee (la nature) et ses regles, et auquel nous ne sçavons tenir moderation ny limite[4] ». Sive ad corporis valetudinem, sive ad vivendi formulam quod pertinet, homines ei adventiciis legibus laborare videntur : « Nature les donne (les lois) tousiours plus heureuses que ne sont celles que nous nous donnons : *tesmoing la*

1. *Essais*, t. I, p. 374. — 2. *Ibid.*, t. I, p. 312.
3. V. lib. I, cap. XXVII (t. I, p. 99); *Apologie de Raimond Sebond* (p. 316) : « l'esprit simple et incurieux », « c'est une charte blanche, preparee à prendre du doigt de Dieu telles formes qu'il luy plaira d'y graver ».
4. T. II, p. 101. Cf., de naturae vi atque impetu, lib. III, II (t. II, pp. 130, 131), lib. III, IX (t. II, p. 243).

*peincture de l'aage doré des poëtes, et l'estat où nous veoyons vivre les nations qui n'en ont point d'aultres*[1].... Les philosophes, avecques grand raison, nous renvoyent aux regles de nature; mais... ils les falsifient, et nous présentent son visage peinct, trop haut en couleur et trop sophistiqué; d'où naissent tant de divers pourtraicts d'un subiect si uniforme. Comme elle nous a fourny de pieds, à marcher; aussi a elle de prudence, à nous guider en la vie.... Le plus simplement se commettre à nature, c'est s'y commettre le plus sagement. Oh! que c'est un doulx et mol chevet, et sain, que l'ignorance et l'incuriosité, à reposer une teste bien faicte[2]! » Nihil antiquius habere debent homines quam ut se totos naturae tradant; et, cum virtutem assequuntur, nihil aliud agunt nisi voluptatis lenocinio obsequi : « Quoy qu'ils dient, en la vertu mesme, le dernier bu de nostre visee, c'est la volupté.... Cette volupté, pour estre plus gaillarde, nerveuse, robuste, virile, n'en est que plus serieusement voluptueuse[3]. » Quare interdum religionem illam quam integram amplectendam esse contendit, reprehendit tamen ut quae naturae saepius repugnet atque impetum ejus detorqueat[4]. Imo reperire est apud Montanum verba illa quae dogmaticam doctrinam quasi redolent : « *Les regles de la raison que nature a empreintes en nous*[5] ».

Quod si igitur vis quaedam et prope numen, naturae nomine, cuncta agere valet et regere, licet latuerit adhuc veritas humanamque temeritatem evaserit, firme prehendendae illius atque in dies magis detegendae nonne spes concipi potest?

1. Cf. J.-J. Rousseau. — 2. *Ibid.*, lib. III, cap. XIII (t. II, pp. 296, 301) : quae quidem ultima verba nota sane sunt, non autem semper recte intellecta. — 3. *Ibid.*, lib. I, cap. XIX (t. I, p. 35). — 4. V., ex. causa, lib. III, cap. V (t. II, p. 176). — 5. *Ibid.*, lib. I, cap. XV (t. I, p. 28).

Quicumque e Montano ad Charronem transit, diligentius expositum et majore luce illustratum reperit quod apud magistrum subobscure tantum, propter incompositum dicendi genus, apparebat. In prooemio scilicet libri *de Sapientia*, primo in limine operis, de lege illa naturae sententiae lectori occurrunt, dignae omnino quae animadvertantur : « La Philosophie... est l'aisnee (de la théologie), comme la nature est l'aisnee de la grace, et le naturel du surnaturel [1]. .. Suivre nature... presque seul suffiroit [2].... La Philosophie (morale)... qui est la lampe, la guide, et la regle de nostre vie, qui explique et represente tres-bien la loy de nature, instruit l'homme universellement à tout..., apprivoise le naturel rude, farouche et sauvage, oste et retranche tout le sauvagin qui est en nous [3].... »

Plurimis in locis verba illa prooemii confirmantur : « Cette loy premiere, divine et naturelle, qui est un flambeau interne et domestique, toutes les loix qui ont esté depuis au monde ne sont que petits extraicts tirez d'elle.... Les enseignements moraux des Theologiens et Philosophes, les advis et conseils des Iurisconsultes, les Edicts et Ordonnances des Souverains, ne sont que petites et particulieres interpretations et expressions d'icelle.... Tout ce qui nous trouble vient que nous voulons, desirons, pourchassons, outre, contre et par-dessus nature. Apprenons des bestes lesquelles se laissent guider à la simplicité de nature..., exemples de tant de maux, vices, dereglemens, que l'homme prend pour sa part à faute de croire et suivre nature [4]. » « Le ressort de *la* prud'hommie, c'est la loy de nature, c'est à dire, l'équité et raison universelle, qui luit et esclate en un chacun de nous. Qui

1. Ed. 1645, p. 9. — 2. *Ibid.*, p. 12. — 3. *Ibid.*, p. 14. — 4. *Petit Traicté de Sagesse*, p. 29.

agit par ce ressort, agit selon Dieu. Car ceste lumiere naturelle est un esclair et rayon de la divinité, une defluxion et dependance de la loy eternelle et divine. Il agit aussi selon soy, car il agit selon ce qu'il y a de plus noble et de plus riche en soy. Il est homme de bien » : quod vero hic ultimum refertur in prima legebatur editione[1]; sed posterius locus ille totus mutatus fuit atque emendatus[2] — nec non et complura alia item ad religionem maxime pertinentia.

Etenim ipse quoque Charro religionem naturae repugnare nonnunquam significare videtur[3] : ut sine religione homines virtutem colere valent[4], ita religio saepe pessimas artes tegit[5]. « Ie veux que sans paradis et enfer l'on soit homme de bien.... Ie veux que tu sois homme de bien pource que *nature et la raison* (*c'est Dieu*) le veut.... Ie veux aussi la pieté et la religion, non qui fasse cause, ou engendre la prud'hommie ja nee en toy, et avec toy plantee de nature, mais qui l'approuve, l'authorise, et la couronne. La religion est posterieure à la prud'hommie, c'est aussi chose apprise, receuë par l'ouye, fides ex auditu, auditus per verbum Dei, par revelation et instruction, et ainsi ne la peut pas causer[6].... » « Les religions... sont, quoy qu'on dise, tenues par mains et moyens humains.... La religion n'est pas de nostre choix et election, l'homme sans son sçeu est fait Iuif ou Chres-

1. Cap. III, p. 328, lin. 4. — 2. De emendationibus vide *praefationem*, p. 23.

3. « D'où peut venir ceste opinion et creance que Dieu prend plaisir au tourment et à la défaitte de ses œuvres?... » (p. 383). « Le repentir, la tristesse et affliction d'esprit est mal » (p. 751). Passim ostendit Charro quomodo cum regionibus ac caelo religiones concinant, lib. II (p. 381), ex. causa (cf. ejusdem editionis pp. 783 sqq.). De miraculis, magistri instar, rectissime disseruit, lib. I (p. 226).

4. *Ibid.*, p. 399. — 5. *Ibid.*, pp. 398, 787.

6. *Ibid.*, p. 788 (p. 321 primae editionis : locus ille emendatus fuit).

tien[1].... Celles semblent estre plus nobles, et avoir plus d'apparence de verité, lesquelles sans grande operation externe et corporelle, retirent l'ame au dedans, et l'eslevent par pure contemplation, à admirer et adorer la grandeur et majesté immense de la première cause de toutes choses, et l'estre des estres, sans grande declaration ou determination d'icelle, ou prescription de son service : ains la recognoissent indefiniment estre la bonté, perfection, infinité du tout incomprehensible, et incognoissable, comme enseignent les Pythagoriens et plus insignes Philosophes[2].... » Philosopho illi, qui naturae tantum concedit, dubitare nihil est aliud nisi veritatem quaerere : dubitando, velut Montanus, — Montanus autem multo minus sibi conscius est, — viam homini ad scientiam instruit. Cogitandi initium est dubitatio, non finis.

De mentis intima vi suam Charro sententiam aperte profert. Nolimus habere persuasum « nihil esse in intellectu quod non fuerit in sensu »[3] : primas in mente partes agit *intellectus*; imo « Intellectus est omnia »; « son action est la cognoissance et intelligence de toutes choses : L'esprit humain est capable d'entendre toutes choses visibles, invisibles, universelles, particulières, sensibles, insensibles.... Mais soy-mesme ou point selon aucuns... ou bien sombrement, imparfaitement et indirectement[4].... Nous disons, pour deffendre l'honneur de l'esprit, qu'il est faux qu'il depende des sens, et ne puisse rien sçavoir, entendre, raisonner, discourir sans les sens, car au rebours toute cognoissance vient de luy, et les sens ne

1. *De la Sagesse*, p. 386. — 2. *Ibid.*, p. 392. V. 394-395. — 3. « Toute cognoissance s'achemine en nous par les sens, ce dit-on en l'escole, mais n'est pas du tout vray. » *Ibid.*, pp. 71, 90. — 4. *Ibid.*, p. 89.

peuvent rien sans luy [1]. » — Sed sensus aut falluntur, aut se invicem fallunt, falluntque rationem, aut rursus a ratione falluntur, et temeritate quadam semper ad errorem ruunt. « Que les sens soient faux ou non, pour le moins il est certain qu'ils trompent, voire forcent ordinairement le discours, la raison; et en échange sont trompez par elle. Voila quelle belle science et certitude l'homme peut avoir quand le dedans et le dehors est plein de fausseté et de foiblesse; et que ces parties principales, outils essentiels de la science, se trompent l'un l'autre [2]. » Quanta sit humanae mentis infirmitas aut insania iterum atque iterum edocet, quam feliciter consuetudine legibusque et religionibus cohiberi aut roborari asseverat. Usque eo hominem elevat [3] ut eum miseriorem esse quam ipsa animalia ratum habeat [4]. — Dubitationem igitur commendavisse Charronem patet ut sese homo in libertatem e miseriis erroribusque vindicet, ut naturae legem in se restituat : jam apud eum methodi loco assumitur suspensio judicii.

Methodi illius cartesianae semina in libro hoc *de Sapientia* includebantur. « C'est la doctrine et la practique de tous les sages, grands et habiles esprits, desquels la plus-part, et les plus nobles ont fait expresse profession d'ignorer et douter [5].... Voicy donc la première liberté d'esprit, surseance et arrest de jugement, c'est la plus seure assiette et l'estat plus heureux de nostre esprit [6].... » « *Comment serons-nous capables de sçavoir plus et mieux, si nous nous aheurtons, arrestons et reposons à certaines choses....* Avec cette belle, candide et innocente sur-

1. *De la Sagesse*, p. 92. Vide totum locum, pp. 89-94. — 2. *Ibid.*, p. 75.
3. V. p. 167; cf. pp. 211 sqq., ubi evolvitur series humanae mentis miseriarum. — 4. *Ibid.*, p. 188. — 5. *Ibid.*, p. 778 (primae editionis p. 310 : caput hoc emendatum fuit). — 6. *Ibid.*, p. 779.

seance nostre esprit demeure premierement libre, universel, maistre, se promenant partout : Magna et generosa res humanus animus, nullos sibi poni nisi communes et cum Deo terminos patitur[1].... Aux modestes, sobres et retenus... ce ne leur est point peine, ains au contraire un sejour, un repos, c'est la science des sciences, la certitude des certitudes, pleine de candeur, de bonne foy et de recognoissance modeste, *tant de la foiblesse humaine, que de la hautesse mysterieuse de la verité*[2]. »

Hic animadvertere operae pretium est apud Montanum Charronemque, tanquam apud Pascalem Huetiumve posterius, pyrrhonismum quasi gradum ad religionem commendari : « *le* Pyrronisme est chose qui fait plus de service à la pieté et operation divine que toute autre qui soit[3]... ». Sed reipsa Charro hominem non tam veritati condendae imparem existimat quam rudem et inexpertum; non semper sibi ipse constat; non plane scientiae confidit[4]; quanti sit ea momenti non omnino is est qui perspiciat; secundum naturam vivendi studiosior est quam inquirendi naturam : ea de qua ubique sermonem habet natura ei intus in animo patet, non foris in apparentiis. Cur autem vis illa naturae, in homine manifesta, in rebus quoque deprehendi non possit? Nonne videmus necessitate quadam ad naturam observandam quaerendasque leges et condendam scientiam scepticum sensim induci?

Etsi minus est notus apud nostrates Sanctius, plurimi tamen olim factus est; multosque cum scriptis tum lectionibus — Tolosae enim per sex et triginta annos pro-

1. *Petit Traicté de Sagesse*, p. 23. — 2. *Ibid.*, p. 45. — 3. *Ibid.*, p. 47. — 4. De scientia vide *De la Sagesse*, p. 303.

docuit — informavit animos medicus ille philosophus. *Quod nihil scitur*[1] : sic inscribitur opus ejus praecipuum. Quod si autem *nihil sciri* contendit, nihil sciri posse nusquam profitetur : imo vero aperte edocuit scientiae viam muniendam esse nec temere ingrediendam. « Quamvis initio, declarat Lectori Sanctius, avidus animus sciendi quocumque oblato cibo contentus esset utcumque : post modicum tamen tempus indigestione praehensus revomere coepit omnia quaerebamque jam tunc quid illi darem (quo)... frueretur absolute.... Omnia in dubium revocavi..., *res ipsas examinare coepi* : qui verus est sciendi modus. » Atque his verbis tractatum concludit : « ... Nos ad *res examinandas* accingentes, an aliquid sciatur et quo modo libello alio praeponemus, quo methodus sciendi, quantum fragilitas humana patitur, exponemus ». Quod quidem propositum habuit, neque unquam effecit; sed *Novi Organi* « partem destruentem » quasi anticipans, quibus causis nulla fuerit per tot secula scientia explanavit accurate.

Auctoritatem quamcumque repudiat, et magnum virum fuisse Aristotelem declarat, sed hominem tamen et qui saepe erraverit. « Non quia aliquis dixerit, ait, verum id est.... Quae docentur non plus habent virium quam ab eo qui docetur accipiunt. » Recentiores non naturae sese, sed sibi naturam subdidisse demonstrat, et verba contexendo res neglexisse. « Pauci recta utuntur methodo.... Pauci naturam in se contemplantur.... Qui recte judicare vult, res contempletur.... Scientia est *rei* perfecta cognitio [2]. » Brevibus luculentisque sententiis Sanctii opus redundat [3].

1. Lugduni, 1581. — 2. In ed. Tolosae, 1636, vide finem et pp. 125, 123, 128, 93. — 3. Vide Raymundum Delassus, *De off. medici sive de*

Eo magis hic de scepticis illis disserendum nobis erat quod Montanus Charroque certe, Sanctius fere sine dubio Gassendi ingenium pro parte quadam aluerunt. Non deceat in hoc opusculo Gassendi initia repetere eumque ab incunabulis sequi per locos omnes et omnes, ut ita dicam, necessitudines, ad notandum quidquid mentem ejus fingere atque inflectere valuerit. Non narrare vitam suscepimus, sed cogitata exponere; nec cur hoc aut illud cogitaverit expediemus, sed colligemus tantum quae in ejus scriptis de humanae scientiae terminis reperiantur : eum autem scepticorum seriei inserere nostri omnino est propositi.

In sexto Gassendi operum tomo, prima omnium quae ad Gassendum scriptae sunt, Fabri Pybracii scilicet, epistola nobis haec sub finem verba praebet : « Mitto tibi Charronis librum, quo continentur Tractatus Christiani, quia scio ejus tibi auctoris genium et ingenium placere, nec prostare venalem apud Bibliopolas Aquenses; eum meo loco poteris aliquando in solitudine habere socium et confabulatorem... [1] ». Quibus verbis prima Gassendi epistola sic respondet : « Quod dignatus fueris mei meminisse, amorisque in me tui tantis viarum intervallis symbolum illud transmittere (Christianos Charronii [2], quos me nondum vidisse sciebas, tractatus intelligo), dici profecto non potest quo in pretio habuerim.... Opuscula illa avide satis devoravi, neque enim male divinasti placere mihi Auctoris illius genium et ingenium. Quanquam, ut quod sentio libere apud te profitear, cum omnia

*vita... Fr. Sanchez*, 1636; *Dict. des Sciences philosophiques*; et, cum de Sanctio tum de « scepticis recentioribus » universe, Bruckeri *Historiam criticam Philosophiæ* (t. IV).

1. P. 361; anno 1621. — 2. *Charro, Charronius, Charondas* (apud Bruckerum) inveniuntur.

valde placeant, nihil tamen aeque arridet ac ipsa sapientia, quam ille est in praefatione testatus studiis suis imposuisse coronidem. Pulchre porro me admones Auctorem hunc mecum in solitudinem ducam; est enim Philosophia paucis contenta judicibus, multitudinemque consulto devitat. Charronio vero quis sanior judex? Si praesertim assederint illi, quorum ipse opera profecit, *Montanus*, Lipsius, Seneca, Plutarchus, M. Tullius. Hos sane, et paucos alios ipsi comites adhibeo.... His ubi nonnunquam substituo Lucretium, Horatium, Juvenalem; ubi Lucianum, aut Erasmum; Deum immortalem! quam merae me chimerae delectant! quam suave duco, ventis luctantibus aequora, magnos aliorum labores spectare ex littore! quam contemplor ac rideo personatam histrioniam quam universus exercet mundus [1]!... »

Gassendo in curriculum ingrediente, quocumque multa e scepticorum libris manaverant quae temporibus mire congruebant. Dubitabant plurimi quia multum sciebant sed male; dubitabant nonnulli quod affirmare gestiebant neque audebant; dubitabant pauci ut tutius affirmarent. Qui, Gassendi aequales, eadem interdum atque ipse cogitaverunt aut ab eo etiam plus minusve ad cogitandum impulsi sunt, non nunc sunt sed posterius inducendi. Uno tantum documento patefaciemus quemadmodum viguerit scepticismus ille qui, quasi diffusus, nusquam non in illis temporibus appareat et e quo ad assertiones quaslibet dogmatici ipsi evaserint [2].

1. Pp. 1 et 2. In epistola ea Gassendus se pyrrhonium dicit, Sextum Empiricum memorat et de observationibus suis loquitur.

2. Baco, Cartesius, Pascalis (V. Grousset, *les Libertins*). Baco in gallicum sermonem conversus est anno 1624 (André Maugars, *le Progrez et avancement aux sciences divines et humaines*; Privilège du 8 mai 1624). Anno 1623 Ph. Fortin de la Hoguette ad Petrum Puteanum scribebat : « Après avoir bien leu et releu le livre du grand chancelier d'Angleterre, il m'a

Anno 1625 a Mersenno in lucem editum est opus hoc : *la Vérité des sciences contre les Sceptiques ou Pyrrhoniens*[1]. Ut in *Quaestionibus in Genesim*[2] Atheos et Deistas impugnat atque « illam sceleratam impietatem quae in hac saeculorum faece palam debacchari ausa est » debellat[3], sic in altero opere, licet iterum libertinos et saepe Garassi — id est vehementi et contumelioso — modo aggrediatur[4], hoc sibi imprimis proponit : « empescher le cours impetueux du Pyrrhonisme[5] ». In scenam tres personas inducit, Scepticum quemdam, Alchymistam, Christianum philosophum, inter se conferentes. Scepticus nihil scire hominem contendit : « Ce que nous voyons n'est que comme un point au respect de toute la terre, sur laquelle nous vivons comme de pauvres petits Vermisseaux »; non magis experimentis quam ratiocinationi confidit. Alchymista autem experimentorum patrocinium suscipit[6] : quae quidem in alchymia temere et superstitiose nimis fieri Christianus asseverat philosophus nec

pris envie de le venir voir luy mesme.... A Londres, 26 sept. » (Tamizey de Larroque, *Lettres inéd. de Ph. F. de la Hoguette*, p. 23). De Verulamio apud Gallos, vide de Gérando, *Histoire comparée des systèmes de Phil.*, IIa part., t. II, pp. 95-98.

1. Dédié à Monsieur frère du Roy, à Paris, chez Toussaint du Bray.

2. 1623; Approbatio, 3 sept. 1620; privilegium, 17 fév. 1622.

3. Quidquid adversus impios, « ce tas de canailles », in *Quaestionibus* dixerat, repetit in gallico libro : *L'impiété des déistes, athées et libertins de ce temps* combattue avec la refutation des opinions de *Charron*, de Cardan, de Jordan Brun et des Quatrains du déiste; Paris, Billaine, 1624, 2 vol. 8°. De Mersenno vide Hilarion de Coste, *Vie* (1649); Hauréau, *Histoire littéraire du Maine*, t. VIII; Tam. de Larroque, *Lettres inédites*.

4. Inter atheismi causas, hanc notat (p. 230) : « Septima causa est inordinatum studium nimiaque sollicitudo qua nonnulli rebus naturalibus incumbunt et earum motus omnes, opera, proprietates et affectiones in causam naturalem referunt, adeo ut nihil illis supra naturam esse videatur; hinc fit ut philosophi et medici Atheismo faverint et in eum inciderint ».

5. In praefatione.

6. Lib. I, cap. I : « Il n'y a point de science si certaine que la nostre car elle preuve tout ce qu'elle enseigne par l'expérience, laquelle est la mere, la source, et la cause universelle de toutes les sciences ». Multa apud Mersennum notatu digna reperire est.

ratione, ut decet, inniti. Ipse igitur Mersennus, Christianus Philosophus, scientiam colit atque extollit : « Si quibus unquam veritas amica est, Catholicis amicissima est, quapropter nihil praeter falsum respuunt ». Academiam concepit — quam quidem condi per totam vitam exoptavit — « quae scientias a fundamentis restaurare, vel probare velit, et ea de causa nullam experientiam, nullum laborem, nullas expensas refugiat [1]... ». Idem ille qui de promovenda scientia tam praeclaras edidit cogitationes « atheorum impudentiam horribilem ferro et igne truncandam » censebat. Ipsam si scientiam spectes, ad credendum pronior erat : ubi enim dubitationi repugnabant, modum tunc excedebant philosophi.

Sed ex atheorum illo et scepticorum feroci atque inconsulto adversario ad Gassendum nostrum veniamus, sceptico que e methodo quid retinuerit enucleare conemur.

1. Vide *Quaestiones*, in Prolegomenis ad Lectorem; hic in margina legitur : *Scientiae quomodo perfici possent*. Cf. infra, p. 91.

# CAPUT II

## QUOMODO EVOLUTA SIT DOCTRINA GASSENDI DE SCIENTIA

I. — Antequam scholae « rixosae nimis » ab amicis ereptus fuisset, ut vitae ecclesiasticae traderetur, quae « otium securius » ei praeberet « et tranquillitatem ad philosophandum uberiorem [1], Gassendus, in Aquensi Academia, frequentes auditorum coetus, institutionis novitatem mirantes, sibi devincire valuit [2].

1. Sorberius, in Praefatione, p. xv.

2. « ... Il dicta par cœur son premier cours : il prononçoit autant d'Oracles qu'il faisoit de leçons, n'escrivant ses pensées et ses sentiments qu'après que sa bouche les avoit prononcés.... Ses problesmes nouveaux eurent tant de Sectateurs, que le magnifique Parlement fut esclave de sa doctrine, et la noblesse suivit la nouvelle science. Tous ses auditeurs estoient adorateurs de son genie ; le plus foible de ses disciples devint Maistre de Philosophie soubs sa conduite, comme le plus timide des soldats paroissoit capitaine soubs le commandement d'Alexandre. Ce fut alors qu'il commença à découvrir les erreurs de ceux qui s'attachent seulement à la doctrine d'Aristote, qu'ils ne conçoivent par eux mesmes ; *toutefois par respect il ne decria iamais ce genie de la Nature*; *il imposoit silence aux Escholiers, et se contentoit d'attaquer et de vaincre ses principes, il pardonnoit à sa renommee....* Tous les iours, cette Academie estoit si pleine de Sçavants qu'il n'y manquoit que ceux qui ont de l'aversion pour les lettres. Tout le monde admiroit les prodiges de nostre Gassendus, et comme son esprit s'occupoit tout le iour aux disputes, la nuict il s'attachoit aux Contemplations des Estoiles, avecque tant de bonheur que ses experiences, et son travail de quarante-six ans, serviront d'instructions eternelles aux plus grands Astronomes, et luy acquerront à bon droit le tiltre du plus heureux et du plus exact observateur de notre siècle. » Nicolas Taxil, *Oraison funèbre* de P. G. (ed. Tamizey de Larroque), pp. 28-29.

Jamjam anno 1617 dictare coeperat Gassendus philosophiam quamdam sibi omnino peculiarem[1]. Anno 1621, scribebat ipse : « Paradoxa mea redigo in quamdam consonantiam, Logica plurima Physicis praetexo, Ethica atque Metaphysica subjungam, si toto quo coepi curriculo colligere juvet pulverem philosophicum. Non dissimulo amplius errores, contradictiones, tautologias et quae extra rem dicta scatent apud Aristotelem. Communeis jam opiniones audentius convello. Temerene, an veritatis affectu id faciam, judicabis ipse aliquando[2]. » Anno 1624 editae sunt *Exercitationes* illae *adversus Aristoteleos* « in quibus praecipua totius peripateticae Doctrinae, atque Dialecticae fundamenta excutiuntur, *opiniones vero aut novae aut ex vetustioribus obsoletae stabiliuntur*[3] ». Opus illud, hodie vix titulo notum, quam sit varium, quam locuples, quam vividum et juvenili eo qui mox deferbuit ardore fervidum, ne multa, plane dignum quod perlegatur, satis declarare nequeo : quod quidem incredibili plausu, neque rursus sine insectationibus, exceptum fuit.

Compertum pauci habent e septem quos conceperat promiseratque Exercitationum libris unum tantum anno 1624 in publicum emisisse Gassendum : « commonefactus ab amicis Auctor stomachari non parum Peripateticos propter prioris Libri editionem, idemque fere argumentum a Francisco Patricio in *Peripateticis* suis *Disquisitionibus* (quarum tunc primum copia ipsi facta) prius pertractatum », secundum librum jam inceptum absolvere noluit[4].

1. Tam. de Larroque, *Doc. inéd. sur Gass.*, Mémoires de La Poterie : 1617, « Il enseigne la philosophie publiquement dans le collège d'Aix..., ayant composé une philosophie à sa mode ».

2. Aquis Sextiis, IV id. Jun. 1621 ; *Op.* t. VI, p. 2.

3. Quomodo ab amicis victus hoc opus ediderit non hic fuse narrandi locus est.

4. Vide, *Op.* t. III, *Exercitationum* sub finem, notulam Poteriae amanuensis.

— Ne obliviscamur ipso illo anno 1624 damnatos fuisse Bitaud, de Villon, de Claves a Facultate Theologiae Parisiensi, rata « nihil... cavendum diligentius quam *rerum novitatem* » : scilicet, « in his temporibus, in quibus ad omne curiositatis et novarum rerum genus depravatis et liberioribus ingeniis impune pateret aditus », propositiones se agitaturos nuntiaverant « quae ex professo contra doctrinam Aristotelis, omnium Philosophorum sine controversia principis, communemque omnium academicorum consensum et usum militarent... ». Imo hoc a Parlamento decretum fuisse memoremus, capite damnatum iri quicumque adversus antiquos auctores probatosque quidquam proponeret [1]. — Secundus igitur, non ad umbilicum perductus, liber, quem « in musaeoli sui recessum, cum blattis ac tineis pugnantem, ab anno 1624 [2]... abjecerat atque neglexerat [3] », in *Operum* tomo tertio primum editus est anno 1658 [4].

Erret si quis existimet nihil aliud in *Exercitationibus* illis animos devinxisse nisi adversus Aristoteleos pugnam, ut ita dicam, instructam. Nequaquam novitas erat peri pateticas doctrinas reprehendi. « Ubi mei factus sum juris, ait ipse Gassendus, coepique rem totam scrutari profun-

1. « Fait defenses à toutes personnes *à peine de la vie*, de tenir ni enseigner aucunes maximes contre les anciens Autheurs et approuvez, ny faire aucune disputes, que celles qui seront approuvees par les Docteurs de ladite Faculté de Theologie. » V. Launoium, *de Var. Arist. in Acad. Paris. fortuna*.

2. In verso epistolae cujusdam ineditae Jacobi Gassendi ad fratrem Petrum (Bibl. Nat., F. fr. 12770, f° 3; « En Avignon, 16 juin 1627 »), Gassendus propria manu titulos capitum secundi libri, nec sine raturis, scripsit : e quo forsitan colligendum est illum anno 1627 primum huic operi incubuisse.

3. V. Poteriae notulam.

4. Sequente anno separatim liber *alter* editus est libro Launoii junctus : *Exerc. Parad. liber alter* cu ob similitudinem argumenti adjungitur Io. de Launoi Tractatus in quo doctrinae Peripateticae errores demonstrantur, Hagae-Comitum apud Adrianum Vlacq, 1659.

diore indagine : visus sum brevi deprehendere quam vana esset ac inutilis felicitati consequendae. Haerebat tamen lethalis arundo generalis praejudicii, quo videbam Ordines omnes probare Aristotelem. Verum mihi animos adjecit timoremque omnem depulit et Vivis, et *mei* Charronii lectio, ex qua visus sum non injuria suspicari Sectam illam non esse penitus probandam, quod probaretur quamplurimis. Sed et vires accrevere ex Ramo praesertim ac Mirandulano : quorum idcirco mentionem facio, quod ingenuum semper duxerim profiteri per quos profecissem [1]. » Neque omnes Aristotelis adversarios noverat. « François Patrice s'est efforcé de décréditer cette philosophie, mais il n'a non plus avancé que Basso, Gorlaee, Bodin, Charpentier, Hhil, Olive et plusieurs autres... qui ne peuvent prendre l'essort assez haut pour rabbattre le vol et la gloire du Peripateticien [2]... », aiebat Mersennus, cujus nominum indicem complere in promptu sit.

In Aristotele igitur nolimus immorari. Gassendus inter humani vindicatores ingenii ad libertatem amplissimum locum tenet : esto. Saepissime « Aristotelismum impugnans », — ut ejus verba in prima ad Galileum epistola [3] usurpem, — adversus servilem philosophandi rationem indignatus est : « Proh pudor! non audere se, qui sese Philosophos jactant, reputare homines, timereque ne, si bacillo auctoritatis non innitantur, nutent, labescant, corruant! quasi vero errorem a veritate discernere possint, qui palato alieno sapiunt; aut quasi verum ali-

1. *Exercit.* praef., t. III, p. 99.

2. *La Vérité des Sciences.* Dignus sit Nicolas Hill qui ex oblivione vindicaretur : *Philosophia epicurea, democritiana, theophrastica, proposita simpliciter, non edocta*, per Nic. Hill anglum, londinensem; Coloniae Allobrogum, 1619.

3. *Op.* t. VI, p. 5.

quid proferre unquam valeant, ex quibus citius impetres ut dormienti leoni barbam vellant, quam ut abstrusum aliquid per se ac serio perscrutentur. Quin etiam assueti ut noctuae nocturnis suis igniculis, nihil vereri magis videntur quam ne sol exortus pellat tenebras; sicque gaudent suis illis quasi latebris, ut non ferant se educi in auras, quo liberiore, quo illustriore, quo humaniore caelo fruantur[1]. » In primo libro, incredibile est quantam eruditionem, quot ingenii dotes, quam scribendi varietatem — modo irascens, modo irridens — exhibuerit : in secunda praesertim exercitatione — *Quod immerito Aristotelei libertatem sibi philosophandi ademerint* — meram assecutus est eloquentiam[2]. — Sed, cum adversus Aristoteleos rixaretur, a qua parte stabat philosophus noster? Jam e praefatione ipsum de hac re audiamus disserentem : « Subodorari... coepi ex eo tempore (scilicet ubi sui factus erat juris) placita aliarum Sectarum, experturus num illae fortassis quidpiam sanius proponerent. Quamvis porro ubique angustiae; illud tamen ingenue fateor, nihil unquam mihi perinde arrisisse ex omnibus ac laudatam illam Academicorum Pyrrhoneorumque ἀκαταληψίαν. Postquam enim pervidere licuit quantis Naturae Genius ab humano ingenio dissideret intervallis : quid aliud potui quam existimare effectorum naturalium intimas causas prorsus fugere humanam perspicaciam? Misereseere proinde ac pudere coepit me levitatis et arrogantiae

1. Vide, *Op.* t. VI, p. 15, Thomae Fieno epistolam; cf., p. 23, Golio epistolam : « Nihil de vulgari dico philosophia, quae quod variis in gymnasiis alumnos semper multos educet, non est profecto cur admiremur ». Cf. *Exercit.* I, I.

2. V. I, II, 7, 13 (pp. 113, 115) de libertate, de profectibus humani animi. « Non possum... id ex meo extorquere genio ut virtutem annis aestimem; ut non credam quae vetera sunt fuisse aliquando nova... ». Semper habent « posteriorum ingenia unde eminentius fulgeant ».

Dogmaticorum Philosophorum.... Quasi vero necesse non sit illos quasi Marpesias cautes penitus obrigescere si urgeantur serio explicare qua solertia, quibus instrumentis constituta sint et membra et munia vel unius Acari...? Sapientius profecto Philosophi illi quos paulo ante nominavi : qui ut vanitatem et incertitudinem humanae scientiae demonstrarent, ita sese comparabant ut possent tam adversus omnia quam pro omnibus dicere[1]. »

Quum igitur in Aquensi Academia profiteretur Philosophiam, — et quidem Aristoteleam, — « Appendicis loco » placita tradebat quibus Aristotelis dogmata enervarentur[2]; placita placitis — non sine optione — libenter opponebat, et quidquid in Exercitationibus asserere videretur recantare posterius se ausurum declarabat. « Quasi vero, ut decipi posse est humanae imbecillitatis, ita non sit valde ingenuum recantare si quid prave opinatus fueris[3]. »

In secundo libro, — ubi Aristoteleorum dialecticam aggrediens, nullamque esse notionem contendens nisi empiricam, St. Millii *Logicam* saepe anticipat[4], — sic inscribitur ultima exercitatio, quae ad propositum nostrum

1. Praef., p. 99. — 2. Aristotelis Aristoteleorumque doctrinas accurate discernit, neque aequum est Gassendum reprehendere (V. *Dict. des Sciences phil.*; Nourrisson, *op. cit.*) quod Aristotelem spreverit.

3. I, I, 4, p. 106. — 4. Dissimilem esse dialecticam istam *artificialem* declarat ab illa *naturali* « quae nihil est aliud quam ipsamet Ratio vel ingenita illa Intellectus vis et energia, qua ratiocinamur et discurrimus » ; artificialem vero inanem, quae de Universalibus, Categoriis, Propositionibus, Demonstratione, aut errores aggeret aut nugas. « Non immerito quispiam existimaverit, cum omnis notitia (ac proinde demonstratio) quae dicitur a priori pendeat ex ea quae haberi dicitur a posteriori, necessarium esse hanc semper haberi et evidentiorem et certiorem illa, cum juxta illud Aristoteleum, *propter quod unumquodque est tale, illud magis tale sit.* Ut taceam proinde posse fortassis opportunius transmutari vocabula, ut quae est a posteriori diceretur a priori; quæ a priori, a posteriori. » II, v, 7, p. 191.

tota spectat : *Quod nulla sit scientia, et maxime Aristotelea.* — Hic tamen primum duas scientias Gassendus se non impugnare asseverat : unam, cognitionem Mysteriorum orthodoxae fidei, « ut quae conjunctam certitudini evidentiam non habeat, nec demonstratione, — quae sit ex naturae principiis, — sed Fide sola — quæ sit ex Revelatione et authoritate divina — nitatur » ; atque alteram, *notitiam experimentalem et rerum apparentium.* Si vero Scientia mera est alicujus rei certa, evidens et *per necessariam intimamque causam*, seu demonstratione habita notitia, hac ratione experimentalis ea seu apparentium notitia nomen scientiae sibi nequaquam vindicare valet.

Notitiam omnem constat, ait philosophus noster, vel sensuum esse vel manare a sensibus : cum igitur judicium feratur de rebus prout illae sensibus apparent, « examinemus imitati Pyrrhonios an verisimile sit objici easdem omnibus earumdem rerum apparentias[1] ». Variis inter se animalibus, variis etiam inter se hominibus, imo uni homini « solitarie considerato » diversas ejusdem rei fieri apparentias demonstrat. Longum sit argumenta referre quorum copiam praestat incredibilem, sive apud antiquos haustam sive apud recentiores, Montanum imprimis Charronemque — quos interdum in latinam linguam convertere videtur[2] : ipse vero Gassendus multa et observavit et obsoletis Pyrrhoniorum argumentis addere valuit. Postquam ostendere conatus est, eodem aliquo objecto sensibili proposito, quaedam ex animalibus album, quaedam viride, quaedam dulce, quaedam amarum, quaedam utile, quaedam noxium — aut sub alia

1. II, vi, 2, p. 193. — 2. Cf., ex. causa, Montanum (*Apologie*), t. I, pp. 378-379, Gassendumque, II, vi, 2.

simili varietate — percipere, nec asserere licere quale illud sit ex natura sua et secundum se, — ita ut si quaeratur *nixne sit alba an non*, respondere quidem homines possint *sibi* eam albam apparere, aliis autem animalibus aliorum forte colorum; hoc plurimis illustrat exemplis, — quae pleraque « e communi familiarique vitae societate » desumit, — scilicet homines, propter temperamentorum diversitatem quae diversis seminibus, alimentis, educatione, aetate, consuetudine, positu caeli et similibus constet, multum in judiciis discrepare : sed praesertim — ut jam XVI seculi sceptici solebant — mirabilem morum institutorumque varietatem quae diversis gentibus probantur et placent manifestam facit. De his « si volueris singula paulo subtilius exquirere, inquit, inventurus sis nihil in una regione turpe vel injustum censeri, quod et honestum et justum non censeatur in alia; nihil in hac prohibitum, quod in illa non sit observatum [1] ». Deinde sensuum errores contradictionesque percenset, et quam incertum sit, vel in uno atque eodem homine, judicium de objectis Gassendus iterum atque iterum edocet : « Fingamus unum aliquem hominem qui temperamenti sit exquisitissimi et accommodatissimi omnium ad qualitates rerum veras naturalesque percipiendas, putasne res erit propterea confecta? certe et in hoc uno tanta erit circa unam eamdemque rem judiciorum diversitas, ut vel ex hoc uno capite incertissimum evadat cujusmodi res aliqua sit habenda secundum naturam [2] ». Concludit igitur nihil sciri posse nisi cujusmodi his aut illis res aliqua appareat, cum neque intimas rerum naturas homines cognoscant neque omnes alicujus rei species noscere valeant.

1. II, VI, 4, p. 196. — 2. II, VI, 5, p. 200.

« Coronidis vice » duo argumenta adjicit : primum, ex quo tempore homines philosophentur, non potuisse non modo unum hominem, sed ne gentem quidem unam aut sectam veritatem eruere : « Sane si aliqui veritatem pridem detexissent, nonne eo concurrerent omnes, ut concurrunt qui in solitudine extremam sitim explere cupiunt ad detectam ostensamque limpidam scaturiginem ? [1] » ; alterum, quotquot hactenus fuerint viri sapientissimi habiti, eos fuisse ingenue professos hanc ipsam rerum ignorantiam. Hic igitur multos citat atque percenset philosophos : « De Pyrrhone ipso adeoque et de Scepticis, ait, nihil est quod hic adjiciamus, cum in hac Exercitatione toti insistamus in ipsorum vestigiis [2]... ».

Iis quae scepticis objici solent breviter sub finem respondet. *Nihil sciri* esse scientiam quamdam infitiatur, quum sit opinio tantum vel quolibet nomine vocare placeat; nec temerarium illum esse asseverat qui sese dogmaticis opponat : « Cur non sit potius in illo eximius quidam veritatis amor, qui, ut falli ipse non vult, ita nollet alios amplecti pro veritate fallaciam [3]? » — Quod si objiciatur omnes homines natura scire gestire, neque tamen, si nulla sit scientia, quaerere veritatem quidquam aliud esse quam « volucres persequi », Gassendus natura duce hominem nihil praeter scientiam experimentalem et quasi « apparentialem » colere declarat. Jam vero « si dicas posse Intellectum, ex iis quae cadunt in experientiam aut apparent sensibus, colligere alia multo interiora, respondebo tamen non posse ulterius ratiocinando procedere quam ad ea quae rursum liceat experiri, vel quorum exhiberi possit quaedam apparentia. Caeterum enim

1. II, vi, 6, p. 203. — 2. *Ibid.*, p. 205. — 3. *Ibid.*, p. 206.

ad intimas usque rerum naturas penetrare, hoc est quod imus inficias. » Non propterea censendi sunt irriti praestantissimorum Philosophorum labores quod « nobis scientiam Aristoteleam hactenus nullam pepererint; siquidem aliam pepererunt et veriorem et utiliorem, puta experimentalem.... Quocirca et maximae gratiae maximis viris habendae sunt quod quae vel experiendo, vel audiendo, vel ratiocinando observârunt tradere nobis quasi per manus atque etiam cum methodo ordineve dignati sunt. Quousque enim quaeso jam tandem proveherentur qui philosophantur, nisi tot procerum virorum eveherentur humeris[1]. » — Quod demum ad varias scientias attinet, breviter notat « neque Physicam totam declarare posse cujusmodi sit intus... minimae rei natura »; « neque Metaphysicam quidquam habere praeter leves conjecturas... »; « neque Ethicam uniusmodi esse, sed pro varietate nationum et personarum variam maximeque mutabilem »; « neque Jurisprudentiam esse aliud quam complexionem multarum legum quae nec apud omnes nec omnibus temporibus vigeant »; « neque Medicinam quidpiam aliud continere quam et observationem multorum effectuum quos medicamenta varia sortita sunt et applicationem eorumdem aut similium medicamentorum ad eliciendos eosdem effectus aut similes »; atque ita de caeteris, ita ut minime haberi possint Aristoteleae[2].

De mathematicis uberius disserit disciplinis, « per quas scire nos plurima, et certissime, et evidentissime, nemo, nisi is sit furiosus, pernegare potest, adeo luculentae sunt et convincentes demonstrationes mathematicae[3] » : sed ad eam conclusionem evadit, Mathematicas monere nos

1. II, vi, 7, p. 207. — 2. II, vi, 8, p. 207. — 3. *Ibid.*

tantum de iis quae primo adspectu non advertantur, quae tamen sub oculos cadere possint, — verbi causa, aequalitatem in triangulo trium angulorum cum duobus rectis; et, quantumcumque circa figuram philosophemur, nunquam tamen intime nosci naturam rei quae figuretur.

Postremo, cum soleat objici Pyrrhonios communi vitae adversari, affirmat « nullum institutum communi illi vitae minus repugnare quam ipsorum Pyrrhoniorum » qui, de rerum natura incerti, rerum apparentias nequaquam agnoscere recusent.

Ea igitur erat initio doctrina Gassendi de scientia. Scientiam experimentalem adeo non repudiabat ut contra plurimi faceret atque promovere decrevisset. In libris III, IV, V, ubi Aristoteleorum physicam acroasin aggredi propositum habebat, multa statuisset quae experimentis novissime reperta fuerant : « Stellis fixis, nuntiabat in Praefatione, et Soli comparatur quies; Terrae, quasi uni ex Planetis, conciliatur motus.... Chylo ex stomacho transeunti in jecur novum aliudve iter aperio quam per venas Mezeraicas... ». Quod ad Metaphysicam spectat, nihil de Intelligentiis, — inter intellectum fantasiamque nullo habito discrimine [1], — nihil de Substantiis cognosci posse nisi per Fidem Orthodoxam asserit et ostendere destinabat [2]. Adde librum VII de Morali Philosophia « uno verbo docturum fuisse illam Epicuri de voluptate sententiam ». « Haec sunt, ait Launoius, quae si proposuisset Ramus, quid ei homini factum esset? [3] ».

Aristoteleorum chimaeris, nugis et praejudiciis rerum

1. Lib. V. — 2. Lib. VI. — 3. *De var. Arist. fort.*; vi^a fort.

naturam, apparentium observationem, experimentalem notitiam opponit. « Quam juvaret nosse historiam lapidum, metallorum, plantarum, animalium, caeterorumque hujusmodi, quorum est adeo jucunda cognitu varietas[1]! » Ut firmius sciat, pedetentim discere decrevit. Quo curiosior est intus naturam noscendi, eo minoris facit scientiam « apparentialem ».

Copia sit demonstrandi eum vitae phaenomenis semper studuisse et de vi illa intima multum ab initio cogitavisse : nonnulli sunt in Exercitationibus loci qui de hoc argumentis sumi valeant. « Quid enim, quia equum hinnientem aut currentem saepe vidisti, explicare propterea potes cujusmodi sit illud hinniendi aut currendi principium?... Similia inquiro de Anima pomi, cujusmodi scilicet energia sit quæ ex tantu logranulo primum radices deorsum fuderit, sursum autem et truncum et ramos tam varios eduxerit? quae deinceps tanta providentia et alimentum traducat ad extremos usque ramos, et tanta solertia partibus singulis distribuat quantum satis est, quae ex eadem et unimoda, ut videri potest, substantia et viridia folia et flores, partim rubicundos partim candidos, efficiat; quae folia eodem semper modo et cum eodem nervulorum numero ac ordine formet, flores eadem semper ratione componat, fructus eadem forma emittat, cum tali cortice, cum tot granis, cum pediculo longe alio modo quam pyris adhaerescente, et similia, quae infinita sint[2].... » Animalia intelligentia praedita esse persuasum habebat[3]. Cuncta vivere suspicabatur. Sed extrinsecus tantum vitam noscebat et extrinsecus rationem : « Cum nihil sit in Intellectu quod non prius fuerit

1. I, I, 7, p. 107. — 2. P. 185. Vide caput hoc totum II, v, 4, pp. 184-187. — 3. « Brutis rationem restituo. » P. 102, praef.

in sensu..., quonammodo Intellectus pervidere poterit quod non transierit per sensum? neque enim dicas transire essentiam delitescentem sub accidentibus[1] ». In homine « ratiocinandi principium non est aliud quam Anima. At nosti ne intimam Rationalis Animae naturam? nosti... quam subsistentiam habeat id quod expers est corporeitatis? quomodo cum sit spiritualis colligetur corpori? quomodo ab illo patiatur? quomodo corporeas actiones eliciat? quomodo fusa sit per totum corpus?... quomodo una parte corporis abscissa non dividatur ipsa?... Bella ista Anima, quae rerum omnium cognitionem gloriabunda profitetur, seipsam prorsus nesciat![2] »

Hic jam operae pretium est animadvertere de vita, de vi illa quae motum et mutationes efficit, Gassendum plus quam Cartesium meditando laboravisse, non autem originem et quasi fontem apparentium, non ens in cogitatione, intuitum esse. *Nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu* : ex opinione ista fit ut Gassendus scientiae fautorem simul et scepticorum heredem in Exercitationibus se gesserit duplicemque exhibuerit faciem. « Videmus quam male magni illi Viri sint excepti qui aliquid contra Divum Aristotelem mutire, aut ab eo et spinosa scholasticorum doctrina (quam ne ipse quidem Aristoteles intelligeret, si reviviscerct) dissentire instituissent, ut tanto magis ingenuum tui candorem mirari subeat, qui istis contemptis tam sublimi animo *ad veritatis investigationem contendas* » : his quidem verbis ei scribebat Willebrordius Snellius, Rodolphi filius[3]; talibus autem Isaac Grutrues, Petri filius, qui *Exercitationes* a Beeckmanno mutuatus erat : « Ego lectionis hunc fructum tuli quod

1. II, v, 4, p. 185. — 2. *Ibid.*, p. 186. — 3. Anno 1625. T. VI, p. 361.

*Pyrrhonismi placitis* comitatum non denegem, dum naturae mysteriis circumfusas tenebras percipio[1] ».

II. — Anno 1630, opus quoddam Gassendus composuit cui primum titulus erat *Epistolica exercitatio in qua praecipua principia philosophiae Roberti Fluddi deteguntur, et ad recentes illius libros adversus patrem Marinum Mersennum scriptos respondetur*, quod autem in *Operum* tomo III *Examen philosophiae Roberti Fluddi medici* inscribitur : primis philosophi nostri operibus nescio quid rixosi inerat quod posterius temperavit. — De *Examine* illo quantum fert propositum nostrum disseremus : vix autem credas quam sit locuples et cogitationibus et eruditione tractatus ille quem in itinere et quasi ludendo scripsit cum per Belgiam viam faceret. Morem gerere Mersenno volebat qui, cum Fluddo philosophicum bellum agens, ipsum arbitrum invocaverat; sed praesertim, postquam Aristoteleorum ratiocinationes naturae tam repugnantes fregerat, magorum et alchymistarum deliramenta discutiendi occasionem, ut videtur, arripiebat.

In praefatione ad Mersennum de « tenui » suo « scepticoque ingenio » Gassendus mentionem facit. « Tametsi,

1. Anno 1634. *Ibid.*, p. 391. Viginti post annos — adeo non in oblivione jacebant priores exercitationes — Gassendo Adrianus Heerebord, Philosophiae in Academia Lugduni Batavorum professor, scribebat : « Ex quo tuas in Aristotelem Exercitationes Paradoxas vidi ac legi, coepi unice te et libertatem in philosophando tuam adamare. Macte isto animo, Vir maxime, ac bene de Republica philosophica mereri perge, ac ne diutius invideas saeculo nostro quas a longo jam tempore multisque annis promisisti, exercitationum in Aristotelem paradoxarum reliquas sectiones. » Anno 1644. T. VI, p. 428. Quinque vero illarum, ut jam supra diximus, nunquam in lucem editae sunt.

ait, tu me *fere* Pyrrhonium esse prohibes, sicque semper urgere soles, quasi aliquid habeam quod Dogmaticῶς proferam, vicissim tamen amicitiae jure illud debes concedere ut vivere in diem liceat et nihil unquam vel efferre vel excipere praeter fines merae probabilitatis[1]. » Philosophi quidem omnes, inquit alicubi, « id consequi affectaverunt ut penetrarent Naturae adyta : at semper tamen quotquot inter illos fuere sapientissimi, se tum felices arbitrati sunt, cum vel ipsum limen tam augustae regiae salutare fuit concessum[2]... ».

Non hic deceat Fluddi et Fratrum Roseae Crucis philosophiam istam exponere quae Religionem mire interpretatur et naturae leges temere fingit. De Scripturae Sacrae — in Physicis imprimis — abusu, hoc objicit Gassendus : « Certe existimavi semper, nisi nostrum ingenium ad captum Pastorum et Agricolarum demiserimus, fore ut nos germana Scripturae interpretatio lateat.... Ea Scripturae intentio non *est* ut nos Physicam exquisitam doceat[3].... » Quod ad scientiam vel mundi vel corporis attinet, Fluddi inventis observata opponit : exempli gratia, de sanguine sibi desumit auctorem Harveum, « cujus libellum de perpetua sanguinis circulatione proximis etiam Nundinis emissum... non sine voluptate » percurrerat et quem suam opinionem « solerter rationibus et experimentis comprobare » existimabat[4]. Quidquid apud Fluddum neque experimentis neque ratione nititur, Gassendus requirit summa cura atque redarguit. De physicis rebus ipse contra « philosophatur[5] », — verbum illud, Anglorum modo, scientiae experimentali applicans. Ob

1. Praef., p. 214. — 2. Vide sequentia : II, III, p. 231.
3. II, IV, p. 232. De religione et scriptura Gassendi sententias colligere est, dignas omnino quae notentur : sed non est hic locus.
4. II, XVI, XVII, p. 238. — 5. II, XXVIII, p. 246.

humanae mentis credulitatem — non solum vulgi sed et doctorum — questus edit[1] : ingemit quod in itinere perpaucos repererit quorum firma validaque esset scientia. « Judiciarios quidem ubique astrologos videas : videas qui scite motuum Tabulas Ephemeridasque aut texant aut versent : denique videas qui Sphaerulis, Armillis, Astrolabiis, Quadrantulis aliisque id genus minutulis Organulis quasi cimeliis delectentur; sed qui graviores illas curas digne suscipiant, vix totidem sunt quot Thebarum portae vel ostia Nili. Et mirere si quod tam pauci, sed ipsa tamen αὐτοψίᾳ periti Caelestium, de Caelestibus corporibus docent, habeatur vulgo in Paradoxis : cum sit numerus innumerus eorum qui Caelestia loquuntur aut scribunt, et omnes tamen non ex ipso Caelo, sed ex proprio cerebro opiniones comminiscantur? Hic nimirum idem contingit quod in Physica universa, in qua neminem fere videas *ex ipsa natura*, sed aut ex suis aut ex aliorum insomniis *philosophari*. Cum res ipsas nemo inspiciat, immensa sunt tamen quae indigitantur de rebus, commentaria. Quidnam vero haec aliud quam commenta sint, cum Mens humana, nisi experientia et observatione regatur, sit ut bonae frugis sterilissima, sic fertilissima nugarum. Id tu eximie pervidisti (Mersenne) qui vis aut experiri omnia, aut virorum fide dignorum experimentis solis fidere. Hoc itaque tramite perge : nam *si olim scintilla quaedam veritatis sit affulsura, ea non aliunde exordium faciet*. Legendus liber ipse naturae, si quidpiam certi addiscendum est; flocci-faciendi qui caprilaneas technicasque decertationes studium esse naturae putant[2]. »

Oportet tamen hic animadvertam Gassendum, licet

1. III, xvii, p. 264. — 2. In conclusione, p. 266.

Alchymistas derideat, perspexisse jam, ut nostra aetate fecit doctissimus ille Berthelot, Alchymiam merae nonnihil scientiae contulisse : « Existimo negari non posse quin duo quaedam valde utilia cognitionis genera debeantur Alchymiae. Unum est circa Naturam. Etsi enim intimos usque rerum naturalium recessus penetrare non liceat,... verumtamen si quidpiam ex iis quae res quasque interne componunt cognoscere concedatur, illud profecto isti Arti acceptum referendum est. Haec enim est quae Naturae librum sola evolvit ac perscrutatur, cum ceterae omnes superficie tenus naturalia considerent. Alterum circa Sanitatem. Etsi enim futilia sint quae de Medicina illa Philosophica praedicantur, attamen confitendum est remedia quaedam praestantissima morbis propulsandis et doloribus sedandis hujusce artis esse inventa[1]... ». — Addam ostendere Gassendum non ad atheismum Fluddum vergere, sed ad doctrinam quamdam cui forsitan usurpari possit verbum illud tunc temporis ignotum, « *pantheismus* » : licet autem Fluddum reprehendat, non ita severe cum eo agit[2].

Nunc jam ad opusculum illud veniamus ubi suam Gassendus de veritate sententiam uberius profert. Postquam Baro Herbert de Cherbury librum scripserat *de Veritate prout distinguitur a revelatione, a verisimili, a possibili et a falso*, Herbert ipse Diodatusque[3] et Peireskius Gas-

1. III, xii, p. 259. — 2. Praesertim quod ad animam animaeque post mortem fata spectat. Vide II, xx, xxvi.

3. Gassendus, Aug. 1634, ad Diodatum scribebat (in Inguimbertinae bibliothecae Peireskii manuscriptis, LXX, 2, f° 17) : « ... De me voir d'un costé de contraire sentiment au Pape et à tous ces autres grands hommes, et recognoistre de l'autre que cet autheur va recueillant avec une si grande exaltation les jugements advantageux qu'on faict de son œuvre, n'ay-je pas raison d'estimer qu'il vault mieux de me taire, que de chanter d'un ton différent à tant d'habiles maistres et faire chose si

sendi de opere illo judicium cognoscere voluerunt. Hic igitur, anno 1634, epistolam scripsit, — cujus ultima folia ex autographo exciderunt, et quae primum anno 1658 in publicum edita est[1].

Seu vita et indole sive scriptis omnino dignus est Herbert qui studium moveat : adversus empiricorum dubitationes simul orthodoxorumque fidem pugnavit, ita ut multos habuerit adversarios et diversissimos[2]. Gassendus eum sane laudat quod sui juris esse non dubita-

désagréable à un homme si meritant et qui ne m'en a point donné de subject? Il me souvient de sa protestation qu'il a envoyée à ceux qui ont desja veu son libvre, mais aussy il me vient de souvenir que là-dedans il tesmoigne de ne vouloir point prendre en bonne part qu'on trouve à dire à son traitté, si en même temps on ne s'ingere de mieux definir, diviser et traitter de la verité qu'on n'opposera avoir esté faict par luy-mesme. Cela estant, à quoi puis-je me resouldre, moy qui ne faictz point profession de cognoistre ceste verité qu'il prétend de demonstrer, et qui ay accoustumé d'exclamer avec Cicéron et saint Jerosme : *Utinam tam facile foret verum invenire quam falsum convincere!* Pour dire le vray ceste pensée là mesme m'a semblé un peu injuste, comme si je ne pouvois point dire que le Roy n'est point présentement ny à Aix ny à Marseille, sans sçavoir incontinent dire en quel lieu doncques est-ce qu'il est. La verité, selon mon jugement, est très cachée aux yeux des hommes, et M. Herbert me semble estre allé un peu viste, et avoir eu un peu trop bonne opinion de son faict, quand il a condamné destroussement les raisonnements des sceptiques. Il semble mesmes excéder un petit aux louanges qu'il se donne luy-mesme et a son ouvrage comme s'il avoit trouvé la febve au gasteau.... J'en ay certes eu moy-mesme (si toutesfois je l'ose dire) une espèce de compassion, et principalement quand je considere que tout cest ouvrage n'est qu'une espèce de dialectique qui peut bien avoir sa recommandation, mais qui n'empesche point qu'on en puisse forger cent autres de pareille valeur et par adventure de plus grande. »

1. *Operum* t. III.

2. « ... Le premier en date de ces philosophes pour lesquels fut créé le mot de *free thinkers*, mais qui à l'origine avait exactement la même signification que le mot de *libertin* pour les philosophes chrétiens de la France de Louis XIV, ou celui d'*esprit fort* pour la foule des orthodoxes. On peut le considérer comme le fondateur de la secte des déistes anglais. » Montégut, *Essais sur la litt. angl.* : *Un Don Quichotte historique.* Mirum est illum qui superstitiones impeteret miraculum quoddam a Deo postulavisse quo incitaretur ad librum *de Veritate* edendum. Vide *Mémoires d'Herbert de Cherbury* (ed. anno 1764, trad. nuper a comite de Baillon). Cf. de Rémusat, *Herbert de Cherbury*; Bartholmès, in *Dict. des Sciences phil.*; Güttler, *Eduard lord Herbert von Cherbury*, Munich, 1897 (v. *Rev. de Mét. et de Mor.*, sept. 1897, supplém., p. 10).

verit : « Nec dubium esse potest, ait, quin si Antecessores nostri pareis animos ad jurata Magistrorum verba dejeranda assumpsissent, aliquid ipsi excogitavissent quo proveheremur longe altius ; sed nimirum perpauci sunt qui supra humana caput exserant, quique pertinere ad se curam hanc magnificam putent[1].... » Nonnulla tamen anglo philosopho objicit quae ad pauca haec capita reduci valent.

1° Cum Herbert quadruplicem distinguat veritatem, — *Rei*, *Apparentiae*, *Conceptus*, *Intellectus*, — et omnes illas, veritate Rei excepta, conditionales esse declaret, Gassendus contra sensus erroris expertes esse contendit, « quatenus rerum apparentias quales revera offeruntur in sese recipiunt, neque tamen pronunciant res tales esse quales apparent, sed ulteriori facultati dijudicandum id relinquunt. Quin apparentiae quoque ipsae, sive qualitates oblatae ex rebus, falsae immerito dicuntur ; siquidem suam exsistentiam et necessitatem habent a judicio independentem ; ipseque Intellectus est qui proprie solum fallitur, cum seu de ipsis, seu ex ipsis judicat secus quam debeat, ob inexploratas earum conditiones. Postremo, ut praeteream alia quae distingui possent veritatis membra, aut longe fallor, aut ista quatuor non tam sunt distinctae veritatis species, quam requisita quaedam ad unam[2]. » Ea autem una veritas non male definiri potest : « Intellectus cognoscentis cum re cognita congruentia ».

2° Verum de rei perfecta notitia omnino se scepticum esse confitetur : « Quae mea hebetudo est, caligo semper ac stupidus rudisque perinde remaneo, quoties naturam veritatemve rei minimae vestigare tento. Heinc parum semper absum ab iis quos ut Scepticos sic insanos dicis :

1. I, p. 411. — 2. II, p. 412.

quando licet Academicorum more non dicam rerum veritatem esse incomprehensibilem, dicere tamen posse videor illam hactenus non esse comprehensam. Quid faciam tamen, unus ex iis quos sua delectat insania, dum apparentiarum fascino illecti de ipsa rerum veritate non sunt anxie solliciti.... Ego (Scepticos) imitatus, eam veritatem quidem admitto quod palato meo mel dulce appareat; seu, quod idem est, me scire profiteor quod hunc dulcorem experiar (nec vero ad hanc sive veritatem sive scientiam, quam dicere historicam seu experimentalem soleo, ulla opus Dialectica, cum ad eam sufficiat magistra Natura). At quam tu heic putas veritatem rei, seu mellis intimam naturam, ipsa est quam pervelim nosse, sed de qua adhuc non constat, quantumcumque libri prope infiniti editi hactenus sint ad tradendum demonstrativam ut loquuntur scientiam[1]. » Ceterum, licet « appetitus sciendi innatus sit hominibus », quoties « ultra res necessarias, et sine quibus degere incolumes non possumus, appetitum protrahimus », in eis disquirendis « si torquemur nimium nec veritatem multo labore conquisitam assequimur, non Deum aut Naturam sed nostram ipsorum curiositatem culpare debemus[2] ». « Fabricam et conditionem alicujus rei nosse, solius est artificis » : quomodo igitur, exempli causa, pernosse homo valeat qua ratione planta gignatur, adolescat, et sui semper generis folia, flores et fructus proferat? Praeterea, quomodo certum habere possit se omnes objecti cujusdam qualitates cognoscere, « cum praesertim Bruta multa sentiant quae sensus nostros non afficiant[3] ».

3° Quod ad Logicam spectat methodumque imprimis

1. IV, pp. 411-413. — 2. *Ibid.*, p. 413.
3. V, pp. 413-414. Eo in opusculo repetit quae jam in *Exercitatio*-

angli philosophi, qua nulla sit certior ad veritatem indagandam, « ut mea quidem sententia fert, ait, Methodi hae omnes (tua, inquam, et caeterae) eo non inserviunt ut incognitum aliquid discamus, sed ut quod didicerimus certa ratione explicemus[1] ». Sic de quaestionibus decem quibus veritatem respondere Herbert contenderat, Gassendus severe quidem concludit : « Uno verbo, quantumvis ista sint solerter excogitata, nondum tamen illa utilitas ingens quam tu polliceris apparet; et cum exinde Systema Veritatis pulcerrimum perfectum esse existimas, existimare quispiam posset nihil exinde aliud quam operosum ludum exstare[2] ».

4° Si penitus perspicere velimus quam litem suo Gassendus adversario intenderit, haec est summa controversiae : De interiore homine scimusne aliquid? Suntne « in foro interiore », ut verbum quoddam angli baronis usurpem, notitiae communes quae non e sensibus oriantur quaeque praesint Scientiae?

Noscere se hominem Herbert asserit ultimasque ejus differentias esse *religionem* ac *fidem* persuasum habet : « At ipse adhuc caecutio, objicit Gassendus, et, ut quae dicis omnia concedam,... me tamen adhuc intima hominis natura et quidditas latet; non lateret autem si nos edoceres quam vere dicatur hominem constare ex corpore et anima, quasi scilicet anima sit materiae penitus expers...[3] ». Cum « sensum internum » ille sibi Religionis Christianae veritatem revelare contendat, libere Gassendus nec non cum audacia quadam respondet :

*nibus* attulerat de sensuum testimoniorum ambiguitate : Vide XV, pp. 418-419.

1. V. exemplum allatum, VII, p. 415.

2. VIII, p. 415; cf. X, p. 416. « Simile est de syllogismis in vulgari Dialectica quos mortales omnes natura duce sic conficiunt ut magistri etiam artis ad regulas suas minime attendant. » — 3. V. VI, p. 414.

« ... Velim consideres an nisi inter Christianos fuisses innutritus, ista venissent tibi in mentem?... Quos apud caeteras gentes philosophari observamus, rationem audiunt, fidem seponunt, de veritate cum agitur, quod, nisi evidenter constet de veracitate dicentis, ea falsitatem pro veritate inducere valeat.... Et generosum quidem est generalissima spectare; cum id tamen sit in caeteris verum, nescio utrum sit etiam in Religionis negotiis tutum. Ea intelligo quae ad cultum, qui ut specialis est, generalis efficiatur : *Verum id donum est optimi Dei qui specialeis etiam ritus pro varietate temporum probat....* Vide... annon quisque ob patriam consuetudinem, temperamento proprio nativoque aequivalentem, possit se ergo excusare quod imbutus a pueri Religionem patriam eam sanctissimam habeat[1]? »

Licet ea magni sint momenti, plus ad propositum nostrum faciunt quae de communibus notionibus vel primis principiis Gassendus enuntiat. « Naturalem quemdam instinctum » esse arbitratur Herbert, quo principia homini dentur « contra quae disputare nefas » : Gassendus autem consensum inter homines fieri it infitias, nec quinam sani sint integrique facile constitui posse asseverat; non solum Philosophorum lites sed « nuperas de novo Orbe relationes factas[2] » argumento sibi desumit, haud alia ratione ac Lockius multique alii posterius. Hic quidem notandum est non plane discrevisse Gassendum quid inter principia reponi potissimum deceat, cujus generis cujusque pretii esse possint : de legibus physicis disserit plerumque ut quae minime certae sint, — Peripateticis, exempli causa, quiescere Terram dicentibus, Pytha-

1. XIV, p. 418. — 2. XII, p. 417.

goricis contra Solem quiescere Terramque circum moveri. Quod ad mores attinet, « uti verum est neminem esse qui non respiret aut elatus in aerem non sponte decidat in terram (quae quidem physica lex est), sic verum est, ait, *neminem esse qui beatus fieri non appetat*[1] ». Hoc est principium quo nullum Gassendo evidentius habetur : sed id quo beatus fiat non idem cuique apparere ratus, concludit nihil emolumenti e notione illa procedere. Scilicet ad principia a foris progreditur nec si quibusdam vis insit peculiaris perspicere valet.

III. — Multum, ut videre est, ab initiis philosophatus est Gassendus, si verbum illud ex consuetudine usurpes : magis etiam philosophabatur, si verbum Anglorum et Gassendi nonnunquam modo interpreteris.

E teneris annis naturam observare coeperat. Anno 1618 observata, ut videtur, primum in commentarios perscripsit, et usque ad ultimos dies *Commentarios* illos *de rebus caelestibus*, qui, in *Operum* tomo IV, 436 paginas in-folio implent, accurate confecit. « Hasce Observationes Caelesteis, ait in Praefatione, etiam nudas, titulo Commentariorum de rebus caelestibus, consignare posteris haud grave duco, ob id potissimum quod alligatae tempori cum sint, nonnisi semel fieri queant eoque pretiosiores habeantur, quod elapsa earum momenta aeternitatis deinceps totius effugiant amplitudinem. Caetera vero quae sunt inventionis humanique ratiocinii possunt, cum pereunt, millies repeti; semper enim humanum idem est

1. XIII, p. 417.

ingenium, et quidquid unquam fuerit ab illo excogitatum potest in alterius mentem aliquando incurrere iterumque prodire. Nudas, inquam, has, qualeiscumque nostras Observationes exhibeo, et qua fide fuere peractae consignataeque : calculum autem adhibeo nullum, ne quidquam sit quod imponere creareve ullam praeoccupationem possit [1]. » Per totam vitam cum caelum investigare prope quotidie non desiit [2], tum astronomorum omnium et observationes collegit et amicitiam coluit [3] : quod quidem ex innumeris — latinis gallicisque — epistolis constat. Proprias ejus referre observationes, — de Parheliis (1629), de Mercurio (1631), de Solis maculis (1632), de Jovis satellitibus (1643), de eclipsibus

1. T. IV, p. 79.

2. « Quantus fuerit in Astronomicis nemo dubitat; atque utinam sibi temperare potuisset ab Astrorum inspectione, qui nocte intempesta siderum motus, quotiens coelum erat serenum, observabat, non sine magno valetudinis suae dispendio; quamvis statim post occasum Solis caput muniret pluribus tegumentis, retundendae aeris noxae quam gravem saepius expertus fuerat. » Sorberii *Praef.*, *Op.* t. I, pp. XXVIII-XXIX. — « Per annos octo supra triginta, quam adhibuit curam, quam sollicitudinem in investigandis et perspiciendis Siderum tum motibus, tum intervallis quibus accederent atque recederent, tum Planetarum consignationibus atque Eclipsibus; ut nemo in Europa tota post Tychonem observarit plura atque perspexerit.... Sane id omnium Astronomorum nostra aetate illustrium scripta indicant atque epistolae. Etenim eum consuluerant saepius Keplerus, Longomontanus, Vendelinus, Schikardus, Snellius, Hortensius, Hevelius, Eichstadius, Galilaeus, Kircherus, Scheinerus, Bullialdus, Valesius, Galterius, Tondutus-Sanlegerius, aliique.... Jamque Astronomiam, si vitam diutius prorogasset, conscribebat intra limites *scientiae certae et indubitatae* cui fundamenta per multiplices observationes substraverat. » Bibliopolae lugdunenses ad Lectorem, *Op.* t. I, p. XXXVIII. V. Tamizey de Larroque, *Doc. inéd. sur Gassendi* : *Sa façon d'estudier et Sa façon d'observer.* « Dans sa jeunesse, il fut fort curieux d'observer les choses célestes. Il prenoit un plaisir très-particulier d'observer; il oublioit sa santé, demeuroit des nuicts entieres à l'air, au froid, au serain, et je luy ay souvent ouy dire qu'il ne pouvoit point s'en empescher, *qu'il estoit comme le chat après la souris*, que lorsque les éclipses arrivoient, il falloit qu'il courut après.... »

3. Vide superiorem notam. Multum de Gassendo meritus est Galterius, Valletae Prior, vir acutissimi ingenii, qui feliciter astronomiam mathematicasque coluit, cuique primum opus, *Exercitationes*, dedicavit. V. *Op.* t. III, pp. 98-104; t. IV, p. 80; t. VI, pp. 148, 248. Cf. Tamizey de Larroque, *les Correspondants de Peiresc*, fasc. IV.

(1648, 1655), de cometis (1652-1653), — non est propositi nostri nec satis pertinenter valemus : sed in opusculorum quibusdam astronomicorum nonnulla forsitan — de methodo praesertim — animadvertere operae pretium sit.

In opusculo *de Parheliis seu solibus IV spuriis qui circa verum apparuerunt Romae die 20 martii 1629* [1], de praesagiis naturalibus disserit : perabsurde facere homines arbitratur cum eventus potius requirant plurimarum rerum quae neque causae neque signa sint, quam ut ad causas seu coexsistentes seu praeexsistentes respiciant. « Quanquam me non remoraretur rationis imbecillitas si experientia me faceret certum. Quippe haec una est quam sequor, postposito quovis ratiocinio, ex quo praesertim novi ut ipso Aristotele adnuente τῇ αἰσθήσει μᾶλλον ἢ τῷ λόγῳ πιστουτέον. At vereor multum ne aut Aristoteles, aut qui primi haec tradiderunt, experimentis nimis paucis fiderint, et rationi crediderint potiusquam observationes conquisierint : cum aliunde ratio nusquam desit, at observationum magna sit penuria. Mirum enim dictu quam multa in hunc diem memorentur Parhelia : vix ullum tamen ex numero tanto scriptorem invenire liceat qui tempestates consecutas in commentaria retulerit. Observant omnes si quid prodigii in rebus humanis contineat : non attendunt si quid in praeclaro naturae theatro forsan exhibeatur [2]. » « Ad praeternaturalia (praesagia) quod spectat dicere posse audentius videor nihil exinde certo praedici. Ac novi quidem in eo consentire Meteorologos omneis quod Parhelia imperiorum cladeis, principum dissidia, populorum factiones portendant.... » Hic « naturae ordinem » memorans, « dolet vicem humanae

1. Amstelodami, 1629; Parisiis, 1630; *Op.* t. III, pp. 651-662.
2. *Op.* t. III, p. 659.

imbecillitatis quae, mobilior arundine, levissima quaque occasione nutat[1] », et de « anilibus ineptiis » exclamat. Atque in Post-Scripto (nam haec est epistola ad Renerium scripta) locum quemdam attexit ex *Historia majore* Matthaei Paris desumptum de simili phaenomeno : « Existimo Parhelia fuisse hisce nostris similia, ait ; et schema quale heic habetur fuisse non tam ἐξ αὐτοψίας quam ex concepta ab aliquo descriptionem legente idea confectum[2] ». Quod quidem verbum ἐξ αὐτοψίας apud Gassendum frequens est et peculiare esse videtur.

Anno 1632 *de Mercurio in Sole viso et Venere invisa Parisiis anno 1631* epistolas duas ad Schickardum, pro voto et admonitione Kepleri scripsit[3] : « Veritas vel nuda vincat, inquiebat, et quaecumque τοῖς φαινομένοις non consonare deprehenduntur, ea demum sunto dissona.... Haec quippe una legitima *philosophandi* methodus est, si quis naturae suum ingenium non ingenio suo naturam, quo deceat candore, submittat. Quae enim placita tam multa tamque portentosa crebrescunt ἐκ φιλαυτίας ortum habent ; dum sibi quisque, ob sua inventa, vel somnia potius, gratulatus, naturam totam quam sua commenta in errore versari mavult.... Itaque simplicius agamus, ac nisi nobis constiterit quorsum aut qualis symmetria inter caelestes globos habeatur, contenti simus quibus frui licet ac relinquamus Posteris quod ipsi adjicere possint. *Multa habemus supra Majores; quid invideamus Minoribus si sint supra nos multa habituri?* Juvemus illos potius quibus subsidiis possumus; cum enim saepius iteratas observationes habuerint, tum demum forte intelligent quod nos defectu observationum non possumus non

1. *Op.* t. III, p. 660. — 2. *Ibid.*, p. 661. — 3. V. *Op.* t. IV, pp. 537-549.

ignorare. Vis dicam verba Senecae? *Veniet tempus quo ista quae nunc latent in lucem dies extrahat et longioris aevi diligentia*[1]... ».

In prima trium epistolarum pro voto Wendelini scriptarum *de Proportione gnomonis ad solstitialem umbram observata Massiliae anno 1636*, hoc legitur : « Ipsum est Caelum, ipse est Mundus, ipsa rerum Natura est in qua contemplanda versamur, et ex qua nihil potest uni ditescendo accrescere quin sit statim omnium et communis juris. Nihil in ea discriminis, seu Celtae seu Cantabri simus; quare et *incolae mundani* possumus, ut Diogenes olim, oppositas acies tuto permeare[2]. » De observandi methodo, anno eodem, ut Peireskio morem gereret, opusculum quoddam — hactenus ineditum — scripsit : *Mémoire instructif pour le R. P. Ephrem de Nevers et le frère Alex. d'Angoulême, Capucins, allans à Seyde*[3].

De Terrae motu atque omnino de motu, secundum Galilaei et sua ipsius experimenta[4], disseruit Gassendus primum in tribus epistolis *de Motu impresso a motore translato* ad Petrum Puteanum (1640) et ad Galterium (1643)[5], dein in tribus aliis *de Proportione qua gravia decidentia accelerantur* ad Petrum Cazraeum (1642, 1645)[6]. Omnia Gassendus aggerat quae Copernici Galilaeique opinionem

1. *Op.* t. IV, p. 542. V. de maculis Solis, *Lettres de Peiresc* (t. IV, p. 259), et Bougerel, *Vie de Gassendi* (p. 107). « La nature est veritablement daedala rerum.... Suivant l'opinion de Copernicus je conçoy le soleil logé au centre du monde.... »

2. *Op.* t. IV, p. 565.

3. In Inguimbertina bibliotheca. V. Bougerel, pp. 171-72.

4. V., in prima epistolarum de quibus infra mentionem facimus, experimentum de gravibus decidentibus in navi actum Massiliae.

5. Scripta est haec tertia adversus Morini librum : *Alas Telluris fractas*. — De eis epistolis vide Wohlwill, *die Entdeckung des Beharrungsgesetzes*, in *Zeitschrift für Völkerpsychologie und Sprachwissenschaft*, 1884, t. XV, pp. 355-359.

6. Priorem epistolarum seriem (*Op.* t. III, pp. 478-563) sic designabimus : A; sic vero alteram (*Ibid.*, pp. 564-650) : B.

confirmare valent. Quod non facere se profitetur ut telluri asserat motum, sed ut « veritatis amore » innuat quietem ipsius firmiore ratione esse stabiliendam [1]. Ubique suam Ecclesiae fidem testatur et se stare declarat a sententia Cardinalium qui, loca divinae Scripturae controversa interpretati, quiescere pronunciarunt terram — quamvis forsitan Scriptura sese apparentiae accommodet : sed, etiamsi Fidei articulus evaderet Terram quiescere, liceret, ait, « disquirere an res cognoscatur naturali lumine ostendaturve demonstratione » et « partem negantem defendendam assumere [2] ». Ubique Gassendus, subtili callidoque dicendi modo, Fidem scientiamque componere conatur, vel potius, veritatem colendo, Ecclesiae prudenter inservire.

In eis opusculis, eadem semper ingenuitate, « nihil antiquius » habere se dicit « quam profiteri ignorantiam [3] ». « Agnosco satis nihil aliud me quam balbutire [4]. » « In hac tanta et obscuritate naturae et imbecillitate ingenii humani », satius ducit « vivere, ut aiunt, in diem, ac posse si quid mane senserit ipso vespere recantare [5] ». Attamen, etsi hic illic scepticas sententias inveniendi copia est, non aeque atque initio de veritate desperare Gassendum asseverare forsitan liceat : nonnunquam ra-

1. A II, XIII, p. 519; cf. III, VIII, XXI. — 2. A III, XXI, p. 542; cf. B III, XXX, XXXI, pp. 640-641. — 3. A III, XXXIX, p. 561. — 4. V. B III, V, p. 618; cf. XV.

5. B II, XIII, p. 625. « Quod... transire (Gassendum) ad Pyrrhonismum subnotas, dicit Morino Bernerius, profiterique *Nihil sciri*, et hac de causa non vereri idem hic affirmare, illic negare..., tu sane is non es quicum hac de re contendendum sit, utpote qui natus non sis ea ingenii felicitate ut capere possis quid scire aut nescire sit; ac infinitis gradibus absis ab eo scientiarum cumulo, quem qui soli assecuti sunt quomodo nihil sciatur sciunt. » *Favilla ridiculi muris* (1653), *Pugillus* I. Primae duae epistolae (A) disceptationi illi inter Gassendum Morinumque causae fuerant quae tot libros libellosque protulit (V. Bougerel, *op. cit.*, pp. 465 sqq.) de motu terrae astrologiaque ac demum de tota philosophandi ratione.

tiocinii vim agnoscere videtur et, si de « experientia », « experimentis », ubique agitur, verbum « ratiocinari » non ita raro apparet [1]. Imo de *demonstratione*, quam olim flocci faciebat, edisserit. Hoc « demonstrari » asserit quod « evidens fiat ». « Quaeso autem quid rei sit esse aliquid evidens? An-non esse clarum, manifestum, conspicuum, in aperto positum, nullo velamine obductum? Quod vero hujusmodi est, an-non a quovis habente oculos apertos et sanos videtur? a quovis habente mentem et attentam et sanam intelligitur? Hoc sane modo evidens est nivem esse albam, esse totum una sui parte majus; atque ita de caeteris : itaque criterium quo possit discerni esse aliquid evidens ipse est consensus sentientium et intelligentium [2]. » Quoties demonstratio fit, omnium una sententia est; quoties dubitatur, non fit scientia, quae ex demonstratione est, sed opinio, quae ex probabili verisimilive duntaxat ratione. Non contentus si phaenomena observaverit, jam hypotheses quasdam fingit quarum, etsi hypotheses esse confitetur, patrocinium tamen assumit. Figmenta illa « usurpo, ait, quasi quasdam hypotheseis quibus coner, quatenus possum, intelligere atque explicare industriam mirabilem qua sapientissimus Opifex voluit sua haec opera proprias exserere actiones. Atque id quidem eadem ratione qua Astronomi, dum hypotheseis seu mavis figmenta in caelum inducunt. Neque enim ad eas confugiunt quasi motum caelo aut sideribus fuisse a Deo inditum negent; sed ut, illo supposito, intelligant ac explicent quomodo hujusmodi motus fieri possit tam multiplex, tam consonans, tam regularis. Ac forte tu quidem sapienter cum innuis debere sufficere nobis si,

1. V. praef. *Institutionis astronomicae*, *Op.* t. IV, p. II.
2. A III, XXII, p. 543.

circa rerum contemplationem, cognoscamus de illis quod sint; neque fingendas esse hypotheseis quibus explicetur quid sint, ut se habeant, quomodo agant, etc. Sed, ut ante dixi, rationem non video, quando exinde sequitur ut universam eliminare philosophiam oporteat.... Et non latet me quidem quam multis difficultatibus omnia involvantur : sed hoc ipsum est ob quod mea inania figmenta non dissimulo, visurus an sint qui pleniora faciant [1]. »

*De apparente magnitudine Solis humilis atque sublimis* epistolas quatuor scripsit ad Naudaeum (1636), Fortunium Licetum (1640), Ismaelem Bullialdum (1641), Joannem Capellanum (1641), quibus plurima de speciebus visibilibus, de visione [2], de coloribus, atque obiter de physicis rebus nonnullis, vel experimenta, vel observationes, vel hypotheses inserit, et e quibus Democriti eum doctrinis indulgere patet. « Quod si... ad opiniones a Peripato abhorrenteis excurrentem me videris, ne me propterea eum habeto qui Aristotelem non suspiciam, sed qui suspicer illius principia non ubique sufficere esse-ve idonea ad enucleandum veritatem. Docuit nos ipse suo exemplo qua libertate esse debeant qui rem quaerunt adeo praeclaram simulque adeo abditam ut foelices habendi sint si qui umbra tenus assequi eam possint. Quare et nolim imaginere haberi a me prorsus ratum quicquid aliunde extulero; nam utcumque loquar, mens mea non est praetergredi fineis probabilitatis. Veritatem Diis Deorumque filiis, ut loquebatur Plato, relinquo [3].... »

Quod si vero de cura ejus indagandae naturae indicia colligere velis, epistolas percurras oporteat quas cum

1. B III, xix, p. 635. — 2. De visione Gassendus Peireskiusque simul curiose multas observationes fecerunt. V. *Vitam Peireskii* et ineditam ad Diodatum epistolam (In biblioth. Inguimbert. P. mss. LXX), 29 août 1634. — 3. Ad Licetum; II, i, p. 423; *Op.* t. III.

ad amicos omnes tum praesertim ad Peireskium mittebat : videre est eum in physici mundi viventiumque corporum phaenomena apertos semper oculos tenuisse, Peireskii instar quem laude illa ornabat : « Homme à ne rien negliger et profiter de toutes choses le plus que faire se peult [1] ». Quoties iter faciebat, digna notatu quaeque colligebat [2]. Nova discendi semper studiosus, nunquam adversus ullum inventum praejudicia afferebat : contra sanguinis circulationem et chyli per venas lacteas exsuctionem objectiones primum ediderat : « sententiam demum mutavit; praesertim ubi Joannes Pecquetus vivorum animalium sectionem instituens rara felicitate pepercit receptaculo illi lumbis imposito, cujus ope ductum chyliferum dorso adrepentem detexit. Non dubitavit enim amplius et circulationem sanguinis juxta Harvaei demonstrationes fieri et venas lacteas Asellianas chylum exsugere et in canalem Pecquetianum transfundere, et chylum guttatim in venas subclavias decidere sanguineae massae permiscendum. Adfui non semel, testatur Sorberius, una cum Gassendo canum dissectionibus in quibus omnibus Pecquetus noster peculiari solertia rem adeo fecit indubitatam ut gauderet admodum Senex curiosissimus ob detectum sibi ante obitum Medicinæ utrumque polum, veritates, inquam, tanti ponderis, quarum altera alteram confirmat, quibus vero sperabat ut deinceps ars tota medica superstruetur, *illa saltem quae a perspecta oeconomia animalis ad morborum curationem mechanico more procedet aliquando, ubi major lux affulserit*.... Memini offendisse me aliquando (eum) euntem cum Mar-

1. Ad Diodatum ep. ined.
2. V. *Lettres de Peiresc*, t. IV : 28 août 1629 « les Isles flottantes de Saint-Omer »; 20 et 25 mai 1635, « Impressions de voyage de Gassendi dans la Provence alpestre », ut verba D. Tamizey de Larroque usurpem.

tello, saeviente admodum hyeme, ad loca illa in quæ deportari solent viarum purgamenta et trahi equorum cadavera, quae plura soluto pretio aperiri jussit[1]. »

Quod ad Mathematicam spectat, « desiderarunt nonnulli in philosopho nostro — confitetur ipse Sorberius — Mathesin profundiorem; quia nihil, aiunt, scriptis protulit unde conjiciendum praebeat ulteriores in Geometria et Arithmetica progressus[2] ». Ignoravit quidem, vel potius discere neglexit « nonnulla quae nullius usus esse noverat, impensae vero, hoc est temporis in acquirendo sat longi ». « Verum est Mathesin illam abstrusissimam non multum conferre, ne quid gravius dicam, ad recti ratiocinii adeptionem et ad rerum naturalium illustrationem; cum nemo non norit insignes in arte analytica vel in sectionibus conicis mathematicos interdum nihilo in ceteris rebus exsistere oculatiores. Ideoque tempori parcendum nec se pluribus impedimentis onerandum suscepit Gassendus noster; qui vel solo Euclide armatus..., satis instructus sibi videri potuisset debellandis errorum monstris, vel Physicae difficultatibus reserandis quae potissimum Felicitati obicem opponunt[3]. » Ceterum Mathematicas mixtas praesertim coluit, scilicet Astronomiam, Physicam ipsamque et Musicam : de Musica enim libellum composuit, *Manuductionem ad theoriam Musices seu ad partem speculativam Musicae*[4]. Matheseos professor in Regio Collegio anno 1645 electus, pro multorum votis « a compendiosa Astronomiae institutione occoepit » : anno 1647 in publicum edidit *Institutionem* illam *Astronomicam juxta Hypotheseis tam Veterum quam Copernici et*

1. In *praefatione*, *Op.* t. I, pp. xvi, xvii. — 2. *Ibid.*, p. xxvii. Cf. Perrault, *les Hommes illustres*, t. I, p. 65.
3. *Ibid.*, p. xxviii. — 4. V. *Op.* t. V, pp. 575 sqq.

*Tychonis Brahei.* De oratione inaugurali in Regio Collegio habita infra agetur.

In capite prooemiali *Institutionis* brevissimam Astronomiae historiam condebat. Posterius vero, ut Haberto Monmorio, amico et hospiti, satisfaceret, multa quae eum sciscitantem docuerat « de observationum antiquitate et progressu » chartis mandavit. Anno 1654 « Tychonis Brahei, equitis dani, Astronomorum coryphaei vitam itemque Nicolai Copernici, Georgii Peurbachii et Joannis Regiomontani, celebrium Astronomorum », in vulgus emisit : quae vitae cum praefatione integras Astronomiae quasi annales constituunt[1] « ab usque antiquissimis, quantum licuit, temporibus ». Incredibile est quantam historiae condendae curam afferat, quanto studio documenta omnia aucupetur, quanta diligentia operum — Tychonis Brahei, exempli causa — summam exhibeat, « pro ea qua *est* opinione — *celebratos eruditorum laudatorumque virorum libros esse totidem quasi bella gesta, urbeisve expugnatas*, in quibus quanta imperatoris sapientia inclaruerit pernosse Lectorem delectet[2] ». Sicuti caelestium scientiam secundum tempora evolvendi munus assumpsit, sic in astronomi cujusque vita « retulit ad suos quidque annos[3] ». — Cum valetudinis infirmitate paulo post a Regio Collegio remotus fuisset, ut « quidpiam professioni congruum » componeret, una cum vitis astronomorum *Romanum calendarium compendiose expositum cui accessit corollarium de romano martyrologio* edidit. Mixtae in operibus illis historia scientiaque inveniuntur; si vero ea memoramus quae in *Fluddi examine*

1. *Op.* t. V, pp. 319-484. V. pp. 454-456, de Copernici successoribus.
2. Cf. Cartesium, *De methodo* VI; ed. Rabier, p. 67. — 3. In praef., p. 335.

de Alchymia supra notavimus, nonne plurimum ad scientiarum historiam Gassendum contulisse constat[1]?

Quod si jam ad philosophiae historiam transimus, quis nescit optime eum de suo tempore meritum esse quod summam operam veteribus philosophis pernoscendis impenderit? Qui quidem plures linguas — hebraeam arabicamque ipsas[2] — callebat, librorum helluo bibliothecarumque hospes assiduus, non minus temporis in antiquorum commercio quam in caeli aut naturae contemplatione adhibuit. « Ex aequo affectus erga omneis (Philosophos) sum, aiebat, omnibusque honorem habeo, ac solum veritatis studio exercendique animi gratia nunc in hujus nunc in illius cognoscendis placitis studiose incumbo[3]. » Aristotelis doctrinae studuit ut eum elevaret, Epicuri ut eum extolleret : sed — ut e *Syntagmate Philosophico* praesertim confirmari potest, ubi de nulla materia agit nisi primum opinionibus plurimis allatis discussisque — nullius non philosophi doctrinam inspicere gestiit[4].

Cum tamen nihil antiquius habuerit quam ut Epicuri placita restitueret memoriamque vindicaret, per totam vitam quidquid ad eum pertinebat collegit atque excussit[5].

1. Ad meram eruditionem referenda sunt opuscula haec : *Sestertiorum moneta gallica expressorum Abacus* — primum in Appendice ad notas de X libro Diog. Laert. editus — et *Notitia Ecclesiae Diniensis, cui accessit Concilium Avenionense anni 1326 ex manuscripto Codice ejusdem Ecclesiae* (1654).
2. V. ad Golium epistolam, *Op.* t. VI, p. 29 : destinabat tunc (1630) arabicae linguae studere.
3. *De Vita et moribus Epicuri*, in Epist. dedic. ad Luillerium; *Op.* t. V, p. 143.
4. Multum Gassendo debent qui primi philosophiae historiam tractaverunt, Jonsius, Thomasius, Morhof, Deslandes....
5. « Je ne croi point qu'en quelque païs ou en quelque tems que l'on ait écrit pour un philosophe (Epicure), on ait égalé notre Gassendi. Ce qu'il a fait là-dessus est un chef-d'œuvre.... » Bayle, art. *Epicure*, note 4. Cf. Clemens Baeumker, *das Problem der Materie in der griechischen Philosophie* (1890), p. 303.

E *Paradoxicarum Exercitationum* praefatione tironem eum cognovisse Epicurum patet; jam anno 1631 philosophi sui redegerat vitam doctrinaeque expositionem *revisebat*[1] : ac solum si quis plurimas epistolas et a Gassendo et ad Gassendum scriptas evolverit, compertum habebit quanti momenti apud aequales labor ille fuerit. Anno 1647 *de Vita et moribus Epicuri libros octo* edidit; anno 1649 amplissimum opus *de Vita, moribus et placitis Epicuri seu animadversiones in Xum librum Diogenis Laertii*[2], simulque *Syntagma philosophiae Epicuri cum refutationibus dogmatum quae contra fidem Christianam ab eo asserta sunt.*

Historici igitur partes Gassendus multimodis egit. « Historia certe est vitae lux, scripsit ipse alicubi, quippe quae non solum praeteritorum temporum obscuritatem discutiat confusionemque explicet; sed exemplis etiam innumeris instruat, mentique ansam praebeat intelligendi ex praeteritis quid sperandum sit de futuris; quis vitae statuendus finis; quo haec universa histrionia tendat, quorsum nihil novum aut stupendum sit[3]. »

Morinus, a quo Gassendus pessime audiit, cum « summum virum esse multae lecturae multarumque collectionum tam in philosophicis quam in historiis aliisque humanioribus literis » fatebatur, « sed nullius quae appareret inventionis[4] ». Illum autem « scientia omnes mortales (et scientiam quidem virtute) superare » Thomas Hobbius declarabat[5]. « *Orbem doctrinae* attigisse » Gas-

1. *Lettres de Peiresc*, t. IV, p. 249. « Je revois ma philosophie d'Epicure et en suis à environ la moitié... » 28 avril 1631. Huic epistolae capitum indicem attexit.
2. 3 vol. in-f°, 1649; 1659, 1650, 1675. In tomo V *Operum* multae non jam inveniuntur *Notae* — quae in *Syntagmate Philosophico* insumptae sunt.
3. *De Vita et moribus Epicuri*, VIII, viii; *Op.* t. V, p. 199.
4. V. Bernerii *Favillam*..., I, iii. — 5. *Op.* t. VI, p. 482.

sendum, « sine quo perfecte doctus » nemo dicendus sit. et « altiorum scientiarum doctrinam cum politioribus litteris conjunxisse » scribebat alius[1]. « Philosophi omnes, Politici, Philologi, Mathematici, Theologi, eodem tumulo teguntur », aiebant discipuli ejus e sinu in epitaphio[2]. Nec testimonia congerere necesse est : *Vita* illa *Peireskii*[3] nobis sit satis ubi, simul atque « eruditionem magnam ac omnigenam » amici « cum ardore sciendi inexplebili » ejusque « curam indefessam promovendi artes ingenuas » illustravit, sese ipsum ardore eodem incensum omniques cientia instructum ostendit.

Quid mirum si, patescente in dies latius Gassendi doctrina, suam de scientiae terminis paulatim inflexerit sententiam? Nonne scire posse hominem magis atque magis sciendo discebat? Nonne meliorem de futuro spem concipiebat, tot et tanta in brevi curriculo vitae comperiens? Nonne, perscrutatus vitam et opera tot virorum — sive inter philosophos, sive inter scientiarum promotores aut historiae conditores — veritati addictorum, omnes ejusdem laboris consortes esse eorumque vel societate vel serie veritatem gigni posse secum tandem inferre debebat? — Videamus igitur quid ultimis in operibus philosophicis de mentis humanae captu senserit.

IV. — Ecce venimus ad opera quorum aliqua non omnino ignota sunt, atque imprimis ad *Disquisitionem*

1. Rolandus Paludanus in epist.; *Op.* t. VI, p. 483. — 2. Abraham Prataeus, Thomas Martellus, Samuel Sorberius, Franciscus Bernier. — 3. 1641; 1651, 1655, 1657, 1658, 1708....

*metaphysicam seu dubitationes et instantias adversus Cartesii metaphysicam* (1644) quam plures legerunt utpote quae in gallicum sermonem cum *Meditationibus* versa fuerit [1].

Saepissime testatus est Gassendus minime inter se ipsum Cartesiumque de rerum veritate esse certamen, sed de vi tantum ratiociniorum quibus « Dei exsistentiam et humanae animae a corpore distinctionem » demonstravisse Cartesius existimaret. — Dubitatio fit Cartesio initium cogitandi et methodus : scepticus autem noster hyperbolicae isti dubitationi non assentitur. Scilicet Cartesius, omnia se e dubitatione expromere posse confidens, nihil non rejicit initio : non autem admittit Gassendus omnem cognitionem *seu veram seu falsam* extrudendam esse « etiam adhibitis machinis » et « captatis praestigiis » ; nec infitias iri potest in dubitatione illa cartesiana nimium esse apparatum [2]. Adversus Cartesium novamque illam dubitandi rationem Scepticorum suscipit patrocinium : dixerat nempe ille « plane ridendos fuisse illos scepticos qui res humanas eo usque negligebant ut ne se in praecipitia conjicerent ab amicis deberent asservari [3] ». Scepticos inter « actiones vitae » et « inquisitionem veritatis » plane distinxisse Gassendus contendit; imo

1. Non tamen traductae fuerunt *Instantiae* — quarum invenitur tantum compendium in Cartesii editione a Garnier praebita. — Omnino non necesse est hic controversiae originem repetere. In editione Amstelodami legere est Typographi — revera Sorberii — praefatiunculam *Candido et erudito lectori* quae testatur totum ferme biennium obstitisse Gassendum vulgando operi, sed primum amicis interioris notae tantum communicavisse manuscriptum. De disceptatione illa et de dissimili philosophorum seu indole seu disceptandi modo, vide Baillet, Bougerel, Bernier (*Favillam*, pp. 42 sqq.), Cartesii Gassendique epistolas. Non est hic locus immorandi.

2. « Et certe cum nullam occasionem habeam existimandi aliquem Deum esse deceptorem, nec quidem adhuc satis sciam utrum sit aliquis Deus, *valde tenuis et, ut ita loquar, metaphysica dubitandi ratio est...* » *Med.* III, ed. 1644, p. 18. — 3. In *Med.* II dub. I, Resp., p. 27.

quod ad inquisitionem illam spectat, discrimen statuisse inter τὰ φαινόμενα, ea quae sensibus apparent, et τὰ νούμενα, ea quae mente intelliguntur. « Haec porro attingo, ait, ut innuam dubitationes Scepticorum fuisse solum de rebus revera incertis, et *quas inquirere esset operae pretium*; non vero de rebus apparentibus et *de quibus facere controversiam nihil prodest*. Sceptici certe admittentes ea quae apparent, quatenus apparent et quomodocumque appareant, nihil interea pronunciantes de interiore cujusque natura, veritate, causis, effectis, proprietatibus, modis, *disquisiere omnia constanter*, et, congrue interim sentientes ipsis vitae actionibus, remansere omni exuti praejudicio retinuereque integram dijudicandi libertatem[1]. »

Quidquid id est, licet « secutus sit ambages » Cartesius et difficultates quasdam ille ejus *Cogito ergo sum* ferat, mire vidit intus hominem sui ipsius notionem invenire, — qua nulla est philosopho locupletior majorisque pretii. Multum autem valent Gassendi objectiones. Quod si mentem Cartesius indagavit, — quam corpore notiorem esse asseverat[2], — nusquam revera probavit omnino a corpore mentem esse sejunctam : quod quidem Gassendus recte animadvertit. Fingit Cartesius nihil se nosse primum nisi se cogitare, scilicet esse, atque inde mentem esse; sed cum *supponat* nondum se quidquam de corpore noscentem semetipsum tamen ut rem cogitantem noscere posse, nihil commune mentem cum corpore habere nequaquam probavit : « Cum tu denique te hoc loco ut solam Mentem consideres, et ut consideras, sic revera te sine corpore esse putes, atque idcirco deludaris ; non ideo tamen uti

1. V. totum locum, In *Med.* II dub. I, Inst. 2, p. 31. — 2. *Med.* II.

tu das ita nos accipimus verba : Nam et quamvis nos non admoneas qualem te esse consideres, sed perinde loquaris ac si totum te, non tui partem, reputares; nihilominus te non alium habemus quam integrum et similem nobis hominem, et considerantem quidem te ut lubet sed non propterea te reipsa abducentem a corpore; cum aliud sit longe reipsa quam consideratione secerni[1] ». Quum de cera ratiocinatur Cartesius, utrum ceram ille sola mente cognoscat Gassendus postulat an sensibus? Adeo non incorporea huic anima esse videtur ut argumenta congerat quibus unum facere corpus animamque pateat, et — « animam adolescere, debilitari aut turbari cum corpore » ostendendo, de « cerebri ad ratiocinandum necessitate » aut de « Brutorum ratiocinatione » disserendo — recentiorum « psychophysiologiam » comparativamque psychologiam anteceperit. Nec solum in dubitationibus instantiisque ad II^am Meditationem, sed multis in locis huic rei inhaeret — quum, exempli causa, doloris sensum fieri posse non videri declarat si mens incorporea et inextensa sit. Ne plura, omnino non sibi persuadere valet substantiam quamdam sua hominem in mente reperire[2] : « Et vocas tu quidem dubias res corporeas, sed si verum fateri vis, non minus certa es (ô mens) exsistere corpus intra quod versaris et ista omnia quae te circumstant quam exsistere te ipsam. Et cum ipsa te tibi ipsi sola operatione quae cogitatio dicitur manifestas, quid hoc est respectu manifestationis hujusmodi rerum? Quippe non modo manifestantur variis operationibus, sed et aliis praetereamultis evidentissimis accidentibus..., adeo ut *quamvis extra te sint, nihil mirum*

1. In *Med.* II dub. II, Inst., p. 47. — 2. Vide In *Med.* III dub. VI.

*si ipsas distinctius quam te cognoscas comprehendasque*[1] ».

Nunc vero de Dei exsistentia omnia quae Gassendus profert, — quum quidem Cartesius ipse hoc unum revera asserat Ens hominem in ima mente intueri, — ad id spectant ut demonstrent non aptiorem esse mentem ad Substantiam universam quam ad substantiam sui cognoscendam. Haud jure relinqui contendit « regiam viam qua Dei exsistentia probetur ex affectibus in universo manifestis[2] »; externis scilicet argumentis, non internis, probari Deum existimat : et ideae Dei atque etiam religionis totius originem inquirens[3], multa satis libere proponit.

Sed, ut institutum persequamur, in tota illa controversia de cognoscendi ratione agitur : quum vero persuasum habeat philosophus noster nullam esse notionem nisi empiricam, quomodo Cartesii Meditationibus non repugnaret? « ... Adnotare placet videri omneis Ideas esse adventitias procedere-ve a rebus extra ipsam mentem exsistentibus et cadentibus in aliquem sensum.... Quod spectat ad species quas dicis innatas, eae profecto nullae videntur et quaecumque dicuntur tales videntur originem quoque habere adventitiam[4]. » Intellectionem ab imaginatione sejungi posse infitiatur[5]; intelligi etiam Deum, Angelum, mentem sub aliqua specie corporis affirmat. Imo falsum esse contendit ideas geometricarum figurarum non esse haustas a sensibus[6]. « Ista omnia quae vel a te, vel ab aliis de Ideis rerum innatis dicuntur, nihil aliud ostendunt quam esse in nobis facultatem cognoscen-

1. In *Med.* II dub. v, p. 65. — 2. In *Med.* III dub. v, Inst. I, p. 131; cf. In *Med.* IV, I, p. 199; Inst. 2, p. 203; Inst. 3, p. 205.
3. V. In *Med.* III dub. IX, ex. causa. — 4. In *Med.* III dub. II, pp. 103-104; cf. V, I, inst. 2.
5. In *Med.* III dub. III, IV; cf. In *Med.* VI, I. — 6. In *Med.* V dub. I, inst. 3, p. 244.

darum rerum innatam[1]. » Idea quaelibet « evadit semper tanto generalior quanto plura (individua) cognoscimus[2] ».

Quantum ergo inter se dissentiant duo illi philosophi facillime videre est. « Fidem feci mentem intelligi posse ut substantiam exsistentem, etsi nihil intelligamus exsistere quod sit ventus, vel ignis, vel vapor, vel halitus, vel quodvis aliud corpus, quantumvis subtile et tenue[3] », ait Cartesius, nec dubitat « absque ullo sensuum usu » mentem Dei et sui ideas easdem habituram fuisse, imo puriores et clariores. Adeo non Gassendus rem illam cogitantem mente comprehendere potest ut contra nulla ei *res* esse videatur nisi plus minusve materiae similis — quam extrinsecus cognoscit : sed non idem est cognoscere proprietatum aggeriem atque substantiam intimamve naturam. « Quicquid possumus cognoscere est hasce vel illas esse hujusce substantiae sive naturae proprietates, quando id observando patet et experientia perspicuum fit[4]. » Licet interdum corpoream animae naturam tribuere videatur, talem nusquam amplexus est doctrinam. Proprietatum scientiam promovens, latius in dies patescentem naturam ante oculos videt : quum Cartesius evidentiam quamdam quaerat omnibus aliis firmiorem evidentioremque, quidquid fit homini evidens Gassendus accipit ; licet non negandum existimet falli posse sensus mentemque, nullam eis falsitatem inesse arbitratur, nos autem « a natura veritatis esse capaces[5] » asserit, nec quidquam firmius nosse quam mundum

1. *In Med.* V dub. I, inst. 5, p. 246. — 2. Cf., de Mathematicis, In *Med.* III dub. I, p. 96.

3. VI *Med.*; ad dub. III resp., p. 275. — 4. In *Med.* II dub. II, inst. 2, p. 91. V. totum hunc locum. « Et quodnam sane foret discrimen inter Deum et hominem, si foret homo conscius omnium quae in ipsis Dei operibus sunt? Si gloriari posset se totam alicujus rei naturam ita habere perspectam ut Deus de ea nihil cognosceret amplius? » Cf. In *Med.* VI dub. III, inst. 8, nullam esse adaequatam cognitionem.

5. In *Med.* VI dub. II, p. 269.

illum sensibus objectum. Apparentium causas persecutus, ordinem rationemque ubique in rebus deprehendit; phaenomenorum tenorem implicationemque comperit, unum facere et ad fines vergere cuncta prope in eo est interdum ut edoceat : ne plura, subobscure doctrinam illam sectatur cui apud recentiores nomen hoc adscriptum fuit : *dynamismus*.

In *Disquisitione metaphysica*, ut jam notavimus, de scepticis disserendi occasiones Gassendus arripuit : « scepticos non disputasse adversus apparentia « contendit, » in quibus habuere propositiones geometricas, sed adversus hypotheseis et arrogantiam dogmaticorum[1] ». Anno 1645, in epistola quadam ad Andream Rivetum scripta[2], de *Principiis* Cartesii Gassendus disserens, miratur « geometram eximium potuisse sibi tot insomnia atque chimaeras fingere et, quod est amplius, divendere pro demonstrationibus ratis » ; « nam virum quidem solertem quis neget posse plurima comminisci quae quadamtenus inter se cohaereant...; sed velle protinus commenta in rerum naturam inferre et profiteri hujusmodi non alia esse rerum principia..., hoc jam esse nolle agnoscere quid humani ferre humeri recusent ». Nonnulla ex epistolis excerpere in promptu sit quibus eum constet Scepticos, id temporis, plurimi, ut ante, fecisse, sed vocabuli illius significationem quasi terminavisse : *Acatalepticos*, qui veritatem occultam, incomprehensibilemque esse opinati sunt, discernit a Scepticis qui « neque statuerunt verum inventum comprehensumque, neque censuerunt inveniri comprehendique minime posse, sed, assensum sustinentes, in eo quaerendo remanserunt[3] ». Quod si semper « nihil

1. In *Med.* V dub. III, inst. 1. — 2. *Op.* t. VI, pp. 193-194. — 3. Ludovico Valesio principi, mart. 1642; p. 119.

nosse praeter rerum corticem licere et ne minimae quidem rei intimam naturam introspici posse[1] » ratum habet, « nihilominus, ait, negari non potest quin quadamtenus in eam (naturam) penetretur, ac tanto magis quanto plura ejus attributa pervestigando innotescunt ». « Viri perspicaces, nisi norunt omnia quae ad hominis, verbi gratia, naturam spectant, plurima tamen non ignorant, neque dici potest (uti secus posset) inutile esse omne studium, omneis Doctores, omneis libros[2]. » Si non demonstratione aristotelea, definitione saltem sciri potest, « quae licet non undique perfecta sit, revera tamen est aliqua ». Experientiae, « rerum magistrae », in dies magis confidit, qua qui destituuntur « non tam Philosophiam quam Mataeotechniam sectantur[3] ». « Partem maximam controversiarum physicarum posse facile dirimi » existimat, « si ad evidentiam sensus provocetur[4] ».

Ut vero physicas quaestiones experientiae criterio solvi posse asserit, ita philosophorum certamina ad consensum tandem evasura sperat. « Non unius, ait, sed plurium investiganda sapientia est[5]. » Quam quidem sententiam jamjam anno 1630 luculente explicuerat : « Meditor et comparo celebriora quaedam placita antiquorum Philosophorum; ac omneis cum suspiciam, singulorum opiniones sic enitor expendere, ut si in cujusvis transfunderes[6] genium; scilicet nullum damnare audeo, et cum Viri magni omnes fuerint, neminem istorum existimo immeditato ac praeter rationem dogmata nobis sua prompsisse.... Quod caput est, pervideo, nisi prorsus hallucinor, majorem fuisse Virorum tantorum conspirationem

1. Valesio principi, sept. 1642; p. 136 — 2. Eid., jul. 1642; p. 131. — 3. Eid., sextil. 1651; p. 277. — 4. Eid., aug. 1642; p. 133. — 5. Eid., mart. 1642; p. 119. — 6. *Transfunderer* : sic legendum esse conjicio.

inter se quam hominum vulgus opinetur. Verborum est plerumque dissidium; at quod res ipsas attinet, maxima est in maximis etiam celeberrimisque argumentis eorum consonantia. Id mirum; sed aut longe fallor, aut quod spectat ad principia rerum, ad finem bonorum, ad naturam animae, ceteraque in quibus illi dissidere praecipue creduntur, paene prorsusque consentiunt[1]. »

Quod si cum Cartesio diu certavit Gassendus neque unquam consensuit, utilitatem tamen ex illa controversia percepisse videtur nec non suam ipsius doctrinam paulisper inflexisse. Nobis documento erit *Oratio* illa *inauguralis habita in Regio Parisiensi Collegio* anno 1645[2], de qua mentionem supra habuimus. Pluris hic Mathesin aestimare videtur quam, exempli causa, in *Disquisitione metaphysica*.

« Duplicem esse » declarat « Codicem sacrum » quo Deus innotescat, scilicet Sacra Biblia et « apertam hanc faciem, sive majestatem ac naturam rerum[3] », et « ipsam veritatem, quae non aliud a Deo est, manifestari duplici luce, revelationis puta ac *demonstrationis*; et priore uti

1. Jacobo Golio, p. 29. Cf. *Lettres de Peiresc*, t. IV, p. 249 : « ... Je tasche d'enrichir tout l'ouvrage (*Phil. Epic.*) par la comparaison de tout ce que nous avons de memoire de la philosophie ancienne avec la doctrine d'Epicure. Si je fay bien ou non je m'en rapporte. Tant y a que la satisfaction me demeure de descouvrir tousjours quelque chose dans l'esprit de ces braves hommes du temps passé, dont peu de gens se prennent garde. Ce m'est de la peine de vray, mais le plaizir que je reçoy à n'apprendre rien à credit, et puiser moy-mesme dans les sources qui ont peu surmonter les injures du temps, ce que les anciens ont imaginé des choses, me paye avec tres grande usure tout le travail que j'y puis employer » (28 avril 1631). — « L'un (Descartes) se distinguoit par la profondeur de sa meditation, l'autre par l'estendue de sa litterature; L'un vouloit que tous ceux qui l'avoient devancé n'eussent presque rien connu dans les choses de la Nature; L'autre taschoit à faire voir par de favorables interpretations, que les Anciens avoient pensé les mesmes choses qu'on regardoit comme nouvelles. » Perrault, *op. cit.*, t. I, p. 64.

2. Die nov. 23. — 3. *Op.* t. IV, p. 69.

vocatam Theologiam, posteriore Mathesin solam; cum aliarum quidem quae dicuntur scientiarum non demonstrationes, sed conjecturae sunt, nisi si qua luce Matheseos fruuntur[1] ». Verbum illud Platonis repetit, γεωμετρεῖν τὸν θεόν, et exercere Deum geometriam arbitratur dum speculatur et dum agit, scilicet mundum creando atque moderando[2]. Deus, id est *Sphaera cujus centrum sit ubique, circumferentia nusquam*[3], sive unitas, sive τὸ ὄν, — utpote qui mundum regat, — omnia facit « in numero, pondere et mensura[4] ». Magnam hic exemplorum copiam profert quibus constet « symmetriam », aut « harmoniam », aut « systema » rebus inesse. « Ea est natura mundanorum corporum ut, seu molem spectes, qua maxima sunt, seu contexturam, qua integerrima, seu cohaesionem, qua congruentissima, seu figurationem, qua speciosissima, seu positionem, qua decentissima, seu mutuam habitudinem, qua ordinatissima, seu motionem quietemve, qua durabilissima, seu finem ac destinationem, qua appositissima, seu aliud demum quidlibet, esse nihil possit concinnius[5]. » De elementis, de arcu caelesti, de flocculis niveis, de salibus et lapidibus breviter disserit, ut « opera omnia Naturae opera esse Intelligentiae » ostendat. Vim illam quae vegetabilia gignit, componit, temperat, Mechanicen quae in minimi animalculi fabrica patet, non satis mirari potest. « Etiam pulex, etiam acarus ex tam multis tamque admirandis organulis et machinulis constat ut jure dicatur a sancto Doctore : Divinus ille artifex ita magnus est in magnis ut minor in parvis non sit[6]. »

1. *Op.* t. IV, p. 69. — 2. *Ibid.*, p. 70. — Conservatio mundi nihil aliud est quam « continens quaedam productio », p. 72.
3. *Ibid.*, p. 70. — 4. *Ibid.*, p. 72.
5. *Ibid.*, p. 73. — 6. *Ibid.*, p. 75.

Quod tandem ad hominem pertinet, postquam nonnulla de instinctu brutorum, de apibus earumque geometria, de araneis formicisque et hirundinibus, de gruum thynnorumque gregibus cursim notavit, *rationalem animam* totam ex rationibus geometricis aut quae ex geometria participent constare asseverat. Eamdem ratio geometriam exercet atque ipse mundus exsequitur. « Hinc certe, *propter naturalem veluti commensurationem quae inter scientiam scientemque est*, exsistere videntur illae omnium humanissimae ac ineffabilissimae voluptates, quibus non modo Pythagoras, Archimedes, et quotquot praeclarum aliquid inveniunt in geometricis, afficiuntur, ac ideo aut sacrificant, aut exclamant ingeminantque celebre illud εὕρηκα, verum etiam tyrones ipsi, qui nescio qua mira suavitate exsiliunt, quoties cujuspiam theorematis demonstrationem primum perspiciunt [1]. » Mens igitur humana quae ex se ipsa fundit tantam segetem admirandorum theorematum sic condita est ut semina eorum in sese contineat : veritatem illa parturit auctoremque suum cognoscit « qui veritas est ».

Nonne hic Gassendus in eo esse videtur ut dogmaticis assentiatur? Suam sibi doctrinam paulatim genuit — quae quid sceptici retinuerit nunc tandem breviter enucleare decet.

Epicuro Gassendus, ut supra dixi, ab *Exercitationum* tempore usque ad mortem incubuit : annis 1647 et 1649 duo ei opera impertiit, quorum alterum, ditissimum quidem, Diogenis Laertii interpretationem, notas ad Laertium plurimas, et in Appendice *Philosophiae Epicuri*

1. *Op.* t. IV, p. 76.

*Syntagma* complectebatur. De Epicuri fatis et restauratione non hic locus est disserendi; ostendere vero fusius quantam illius philosophiae indagandae operam dederit Gassendus, non est amplius nostri propositi : neque enim per Epicuri verba omnino eum juravisse jam antea animadvertimus. Nulla sane philosophia magis quam Epicuri Gassendo cum experimentis congruere visa est; plura ex Epicuri philosophia quam ex ulla alia in suam ipsius doctrinam mutuatus est : sed sibi tandem doctrinae auctor fuit peculiaris et sui juris factus est, — quod quidem multos antea fefellit. Philosophia haec, quae vitae totius meditationes consummavit, notior in dies evadit ut cui nonnulli hisce temporibus studuerint [1]. Quantum autem locuples ea sit, quos ex omnibus doctrinis, ex universa scientia fructus ceperit, ita ut disciplinarum orbis videatur, — nescio an satis adhuc sit monstratum. Quidquid tempore suo noscebatur Gassendus tenuit; quidquid per totam addidicit vitam, in posthumum illud opus inseruit [2] : nec non propriis observationibus, lepidis narratiunculis, stili blando tenore atque interdum lenociniis totum hoc distinxit. Hic ad quam de veritate doctrinam evaserit nostrum est tantum quaerere.

« Ut videamus paucis quid in hac tanta opinionum circa veritatis criteria (diversitate [3]?) dici probabiliter possit, *media quidem via inter Scepticos* (quo nomine omneis Criteria tollenteis complector) *et Dogmaticos videtur tenenda*. Nam non omnia quidem quae Dogmatici se scire putant revera sciunt aut ad ea dijudicanda con-

1. V. praesertim Thomas, *la Phil. de Gassendi*, et Mabilleau, *Histoire de l'Atomistique*.

2. Gassendi manuscriptum — in Turonum bibliotheca — saepe versavimus : quid de Gassendi methodo correctionibusque et de operis editione nos docuerit alias notabimus.

3. Deest hic verbum quod supplemus.

gruum habent criterium, sed neque omnia etiam quae in controversiam vertuntur a Scepticis ita ignorari videntur ut non criterium aliquod iis dijudicandis habeatur[1]. » His metiri licet quot gradus fecerit ex quo in *Exercitationibus* « nihil sciri » professus erat. « Magni ducendum nobis est quod nisi admitti in ipsa quasi adyta naturae possimus, at possimus tamen quibusdam quasi sacris exterioribus interesse. » De ardore cognoscendi hominibus innato, de sacra illa sciendi voluptate — videlicet quod « veritas sit pabulum animae germanum[2] » — luculente passim disserit. « Pleraque igitur ex iis quae controvertunt Sceptici reipsa sciri valere » ostendit. Qui tantopere olim sensuum erroribus convincendis incumbebat, nunc « eam sensuum fallaciam, quam... causari mos est, non obstare « edocet » quominus veri certique nosse quidpiam liceat[3] ». Quod ad unius objecti diversas apparentias[4] spectat, exempli gratia, discernit *causam* in re ipsa sive objecto et *dispositionem* in facultatibus excipientibus; nec non uniusmodi esse objectum asserit, quum variae apparentiae ad eas in quibus creantur facultates referantur.

E cunctis epoches modis hoc concludit, — ut ipse Epicurus jubebat, — facta aliqua per sensum apparentia, *exspectandum*, sustinendumque seu differendum judicium, « quousque, omnibus sublatis quae germanae notitiae obstare possint, de re evidenter constet ». Ad illa Scepticorum argumenta qu e *rejectorium in infinitum* et

1. V. *Logicam* II, *de Logicae fine*, cap. v : *Posse aliquam veritatem signo aliquo innotescere et Criterio dijudicari. Op.* t. I, p. 71.
2. *Ibid.*, p. 61; vide etiam *Physicae prooemium*, p. 117. — 3. *Ibid.*, p. 75.
4. Seu variis animalibus, seu variis hominibus, seu uni etiam homini secundum sensus varios affectionesque varias; praeterea secundum positionem, intervallum, locum, admistionem, constitutionem, quantitatem, raritatem, frequentiam, etc.

*diallelus* et *hypotheticus modus* vocantur, *evidentiam* objicit Gassendus : sunt enim res adeo evidentes « ut enuntiatione sola opus habeant, ut sunt non modo res singulares quae sensibus patent experientiaque approbantur, sed *propositiones etiam generales* adversus quas nulla afferri potest instantia, *ut sunt axiomata ad quae demonstrationes mathematicae reducuntur* : omne totum sui parte est majus, etc.[1] ». « ... Duplex in nobis potest distingui Criterium, unum, quo percipiamus signum, videlicet sensus : *alterum, quo ipsam rem latentem ratiocinando intelligamus : mens nempe, intellectus, seu ratio*[2]. »

Hic quidem Gassendus sensibili evidentiae rationalem addit. Sic empirica ejus doctrina rationis usurpatione temperatur. Quod si nusquam non professus est omnem e sensibus oriri notitiam, ast occasionem esse sensus notitiarum quae non sensibus pateant et res singulares occasionem esse notionum universarum demonstravit[3]. Quaestio illa originis idearum principiorumque nondum ad id perspicuitatis pervenerat quo nunc evasit : Gassendum vero in *Syntagmate* rationis vim illustravisse non dubium est.

Tota fere ejus philosophia *Physica* est[4]; apparentias omnes earumque leges recenset : sed ex empirica psychologia cosmologiaque experimentali eo scientiae evectus est ut ratio ipsi magis magisque invaluerit. Simul enim atque rerum naturam indagabat, rerum ordinem contemplabatur : ratio autem ei patefiebat, quae sensuum impressionibus ordinem imponere valeret rerum ordini consentaneum. Ut jam antea diximus, Dei exsistentiam « ex

1. *Op.* t. I, p. 76. — 2. *Ibid.*, p 72. — 3. V. Mandon, Thomas (p. 172), *ops. cits.*
4. *Op.* t. I, p. 113-655; t. II, pp. 1-578 : scilicet e 1413, Physicae 1121, Logicae 112, Ethicae 179 tribuuntur paginae.

iis ejus effectibus sensu perceptis » deducit, « qui esse ab alio quam a Deo non possint, quique proinde nisi Deus adesset in mundo, non observarentur; cujusmodi est tantus universi ordo, tantus decor, tanta amplitudo, tanta constantia, ut nisi a sapientissima, optima, potentissima, inexhaustissima causa esse valeat[1] ». Animam igitur cum incorpoream, — quae rationi sit firmamento, — Deumque — qui mundum ad fines ducat — cum, ut ita dicam, postulet, nihil est aliud nisi Substantiam quodammodo ex hypothesi restaurare. Substantiam enim ex hypothesi tantum invenire potest ut qui intueri abnuat.

Renatus Cartesius, scripsit philosophus noster, « Verulamium ea in re imitatus est quod novam quoque Philosophiam a fundamentis excitaturus, omne omnino praejudicium exuere imprimis voluit; ac invento subinde quopiam principio solidissimo, ipsi ut fundamento superstruere totam molem. Non eamdem tamen viam est quam Verulamius ingressus; sed, cum Verulamius *auxilia a rebus ad perficiendam intellectus cogitationem petierit*, ipse, omni rerum cogitatione ablegata, censuit in ipsa cogitatione satis esse praesidii ut intellectus possit vi sua in omnium rerum etiam abstrusissimarum, hoc est non modo corporum, sed Dei etiam ac animae, notitiam perfectam venire[2] ». Gassendum semper intima illa scientia fugit : sed ex objecta facie ad intima procedens, rerum perfectam fabricam et concentum ubique miratus, — in contrarium Cartesii qui duas substantias adeo discrevit ut illae nullo jam modo conjungi valerent, — non affirma-

1. T. I, p. 73. Cf. Physicae I, lib. IV, *De principio efficiente seu de causis rerum*, praesertim pp. 273 sqq.
2. *Ibid.*, p. 58; *de Logicae origine et varietate*, XI.

vit quidem, sed suspicatus est substratum esse quoddam universi, quod unum foret — neque materia neque spiritus, omnium vero apparentium *res* — quoque mundi fines efficerentur[1].

1. De Gassendi doctrina et de *dynamismo* illo quo pervenit, de atomis deque eorum cum Deo conjunctione, vide Mabilleau, *op. cit.*, pp. 405 sqq.

# CONCLUSIO

I. — Totum Gassendi opus nobis nunc complecti licet et quemadmodum ejus doctrina sensim immutata sit intelligere.

Scepticum se primum profitetur ac prope jactat. Scilicet, Verulamii Cartesiique instar, vindicandae in libertatem mentis humanae sibimet munus assumit. « Purgare » intellectum gestit : « destruens ac praeparans », ut Baconis verba usurpem, dubitationis illius opera est. — Ad veritatem indagandam methodus quaedam comparari debet. E meditatione methodum Cartesius expromit : Verulamius Gassendusque nihil nisi scientiam empiricam commendant. Imo scientiam primum hic minoris facit quam ille : sed cautius procedit; observationes atque experimenta factitat; non tam de rebus cognoscendis speculatur quam cognoscendis eis incumbit. Quare qui primum confusionem atque discordiam ubique apparere existimabat, magis in dies ordinem, leges, consensum — plus minusve occultum — deprehendit. Quo ditior fit Gassendus notitiis diversissimis, eo plura non solum de apparentiis affirmat, sed de rebus, de ente opinatur. Empirica veritate ad ontologicam verisimilitudinem per-

ducitur. Mentis naturam ipse non intuitus, infitiatur Cartesium intueri potuisse : sed vim humanae rationis apertius in dies comperit et animae substantiam alia atque Cartesius via explorat. Cartesio quidem impar evadit quod ad mentem pertinet; quod vero ad corpus materiamque spectat, Gassendus praevalet, — quia fines, vitam, animam quodammodo rebus cunctis infusam perspexit nec duas inter se repugnantes concepit substantias.

Epistola quaedam a Bernerio — e Persia — ad Capellam scripta[1] eximie nobis Gassendi philosophiam illustrare videtur. « ... Il me semble bien raisonnable de croire qu'il y a quelque chose en nous de plus parfait que ce que nous appelons corps ou matière[2] », ait Bernerius. Atomis quidem indulgere se profitetur nec materiam in infinitum dividi posse existimat[3]; atomorum motibus phaenomenorum atque ipsius mundi ordinis rationem reddi posse concedit, dummodo causa rectrix et mente praedita adhibeatur[4] : sed atomis, scilicet corporea materia, neque mentem humanam neque sensitivam animam ex toto constitutas fuisse arbitratur. « Nous devons prendre une plus haute idée de nous-même, et ne faire pas notre ame de si basse étoffe que ces grands Philosophes trop corporels en ce point; Nous devons croire pour certain que nous sommes infiniment plus nobles et plus parfaits qu'ils ne veulent, et soutenir hardiment que si nous ne pouvons pas bien savoir au vray ce que nous sommes, du moins savons

1. *Voyages*, t. II; Amsterdam, 1699, pp. 169-205. De hac epistola vide Sainte-Beuve, *Causeries du Lundi*, t. XI; Bouillier, *Hist. de la Phil. cart.*, t. I, cap. XXVI. — 2. P. 176.

3. « Un philosophe doit éviter, autant que possible, de donner dans l'infiny, parce que c'est une espèce de gouffre profond et obscur qui souvent ne sert que pour se cacher, et où l'esprit humain se perd. » P. 179. — 4. P. 182.

nous très-bien et très-assurément ce que nous ne sommes pas; que nous ne sommes pas ainsi entièrement de la bouë et de la fange comme ils prétendent[1]. » Etsi penitus philosophari non licet homini, nequaquam absurda sit sententia si quis credat animalium sensus non in materia tantum constare[2]; imo atomos perfectius aliquid quam corpus esse posse Bernerius non it infitias[3]. « Ce n'est pas neanmoins que je voulusse dire qu'il y eût raison de croire que dans l'homme il y ait quelque chose de Divin, quelque particule de la Divinité, ou quelque chose de semblable; c'est un blasphême insupportable et hors de raison de quelques Stoïciens, des Cabalistes de Perse et des Bragmanes des Indes.... Je n'ay pas garde de donner dans cette pensée...; mais c'est que je remarque dans l'homme aussi bien que ces Stoïciens et autres, quelque chose de si parfait, de si grand et de si relevé, que leur opinion me semble encore cent fois moins absurde que celle-là qui veut que dans l'homme, et même dans tout l'Univers, il n'y ait rien autre chose que de corporel, que mouvements locaux et corporels, que corps, qu'Atômes, que matière[4]. » Ad « pantheismum », ad « dynamismum » Gassendus Berneriusque delabebantur, — licet non solum vocabula ea ignoraverint, sed praesertim mentem humanam intueri atque, ut ita dicam, ejus vim in universum infundere nesciverint[5].

Neque scepticus neque dogmaticus, mediam tenuit Gassendus inter extrema viam, ita ut temere eum aut ab

1. P. 204. — 2. P. 202. — 3. P. 203. — 4. Pp. 191-192.
5. Attamen Bernerius — necnon Gassendus ipse — de « reflexione » digna quaedam notatu scripsit : vide pp. 189 sqq. — Animadvertamus dubitandi semina in Bernerii cogitationibus viguisse : « Il y a plus de trente ans que je philosophe, très persuadé de certaines choses, et voilà cependant que je commence à en douter ». *Doutes de M. B. sur quelques-uns des princ. chap. de son Abrégé de la Phil. de Gass.*, 1682.

aliqua operum parte judicantibus modo a Pyrrhone stetisse visus fuerit modo ab iis qui corpoream animam esse existiment. Etsi Hobbium admiratus est[1], — qui quidem eum non minore cultu prosequebatur[2], — ejusdem doctrinae fautor haud jure videri potest. Animadvertere est illos qui corpoream esse animam contendant multo magis e Cartesio pendere quam e Gassendo. Hunc non tam mathematicae quam astronomiae et physicae cultorem exstitisse notavimus et, simul ac mechanicas leges persecutus est, fines ubique perspexisse : Cartesius, ut qui causarum seriem tantum et mechanicorum effectuum nexum — nequaquam excepta anima — reperiri posse arbitratus sit atque ipse pro virili parte quaesierit, plurimum — quod nemo infitietur — ad illam seculi XVII philosophiam contulit. Gassendum sibi auctorem vademque Holbachius, exempli causa, non appellat.

Imo vero nonnullos facultas sit cum eo conferendi philosophos qui principia tuiti sunt Hobbii aut Holbachii doctrinae adversa : Malebranche, Berkeley, ne plures proferam, non omnino a Gassendo dissentiunt. Prior enim hominem ideam animae neutiquam in se invenire arbitratur : homo quidem se intus cognoscit, — quod recte declaravit Cartesius, — sed confusa quadam notitia non idea perspicua, ita ut corporis clariorem teneat notionem. Nec non item asserit alter nos nihil intuitione cognoscere nisi nosmetipsos, omnes vero — ac Dei ipsius — ideas sensuum impressionibus debere; ex effectibus,

1. « Gassendi disait de Hobbes qu'il ne connaissait guère d'âme plus intrépide, d'esprit plus libre de préjugés, d'homme qui pénétrât plus profondément dans les choses. » Diderot, *Encyclopédie*, art. *Hobbisme*.

2. « Opto... praesentiam tuam, qua si cariturus sum, cupio non modo ut valeas, sed ut id ipsum te valere sciam, qui quantum ego in hominem inspicere possum, scientia omnes mortales et scientiam virtute superas. » (1649.) In epist. jam citata, *Op.* t. VI, p. 483.

e finibus esse Deum concludit : sermonis instar apparentiae sunt et ideae intellectui impressae, qui numen Dei proclamat[1].

Sed ei praesertim qui quaestionem illam de mentis humanae captu enucleare laboraverunt Gassendo obstricti sunt, atque omnium maxime Lockius, — qui novum prope philosophandi modum instaurare visus est cujusque opus, in gallicum sermonem versum, Gassendum oblivioni dedit. Locupletior sane est Gassendus et, sive eruditionem sive scientiam spectes, Lockio longe praestat : hic vero animum humanum, sibi magis conscius, scrutatus est; licet sibi ipse contradicat, perspicuus ubique videtur; brevior, expeditior, ut ita dicam, vulgari sermone — quum apud suos tum apud nostrates — adjutus[2], eo magis sibi Gallos conciliavit quod externus, quod Britannus erat. Per Britannum philosophum — qui Gassendi *Syntagma*[3] aut Ber-

1. Non unus Berkeley, sed permulti Angli nequaquam a priori cognosc posse Deum existimant (V. de Rémusat, *Hist. de la Phil. angl.*, t. II, p. 402). Newtonius — quem Gassendo studuisse constat — systemate mundi theologiam naturalem inaedificat. « Newton a dit plusieurs fois à quelques Français, qui vivent encore, qu'il regardait Gassendi comme un esprit très juste et très sage, et qu'il ferait gloire d'être entièrement de son avis dans toutes les choses dont on vient de parler. » (Voltaire *Élém. de la phil. de Newton*, apud Lange, *op. cit.*, t. I, p. 490. Vide etiam apud Lange quod ad Boyle spectat; *ibid.*, p. 271.) — Berkeley notandus est in ethica quoque cum Gassendo consentire quum hominem nonnisi proprio amore moveri profiteatur (V. Lyon, *l'Idéalisme en Angleterre*, p. 338).

2. De Gassendi logico tractatu scripsit Damiron (*op. cit.*, t. I, p. 402) : «... S'il eût été écrit... en français, dans cette belle langue du XVII^e siècle, que tous les grands esprits du temps parlaient naturellement, et que Gassendi eût parlée comme Descartes et comme Arnauld, il eût eu sans doute aussi sa part de vogue et de faveur; et, au XVIII^e siècle principalement, il eût eu un grand crédit, parce qu'il eût parfaitement convenu à la philosophie régnante; c'eût été l'*Art de penser* de l'école de la sensation ». Ipsum Bernerii — non ita breve — compendium (ult. ed. 1684) Lockii excerpta (*Bibl. univ.*, 1687) et traductio (Coste, 1700) quasi obruerunt. (V. Leibnitz, *Nouv. Essais sur l'Entend. hum.*, ed. Boutroux, p. 100).

3. Memoremus etiam *Philosophiam Epicureo-Gassendo-Charletonianam*, opus illud quo Gaultier Charleton Gassendum Anglis notiorem fecit (1654), nec non *Peireskii Vitae* translationem, *The life of lord Peiresc* translated by W. Rand M. D., Lond. 1657. Gassendi nomen apud Lockium

nerii saltem compendium versaverat — sibi superfuit Gassendus viguitque[1].

II. — Quae quidem hic attigisse satis sit. Gassendo imprimis merito verti debet quod, sciendi curiosissimus, de scientia meditatus est; quod scientia magis in dies instructus notitias omnes in philosophiam redegit. Si veterem philosophandi modum non exuit omnino, si traditam metaphysicam nimium tuitus est, si semina apud eum inveniuntur quae fructus apud recentiores tantum ediderunt, — hoc quidem ei nemo non jure concedat, scientias omnes et ipsum promovisse et ad colendum plurimos induxisse : simul atque de praenotionibus cunctis dubitandum docebat, experimentis rationique esse fidendum asserebat intellectuique humano campum immensum patere, dummodo pedetentim prudentique methodo procederet.

Quanti momenti fuerint Gassendi opera sermonesque apud doctos aut scientiarum fautores ostendere est mihi destinatum : non autem caput hoc historiae seculi XVII

invenias. Vide Ritter, *Hist. de la Phil. mod.* (trad. Challemel-Lacour), t. II, p. 31; Damiron, *op. cit.*, t. 1, p. 451 ; Hallam, *Hist. de la litt. de l'Europe*, t. IV, p. 143; Marion, *Locke*. « C'est un pauvre témoignage en faveur du patriotisme ou de l'intelligence de leurs compatriotes que les œuvres de Gassendi et de Descartes aient été si longtemps éclipsées par celles de Locke, qui ne fit au vrai que suivre le premier et réfuter à faux le second. » Hamilton, *Lect. on Metaph.* XXIX; in Lyon, *op. cit.* « Cet auteur (Locke) est assez dans le système de M. Gassendi, qui est, dans le fond celui de Démocrite..., et il paraît d'humeur à approuver la plus grande partie des objections que M. Gassendi a faites à M. Descartes. » Leibnitz, *Nouv. Essais...*, ed. Boutroux, p. 162. — De ipso Leibnitio bene meritum esse Gassendum constat : vide C. Adam, *Rev. phil.*, janv. 1890; Mabilleau, *op. cit.*

1. Diutius apud exteras gentes — Italos praesertim — Gassendi opus oblivionem effugit.

in conclusione scribendi locus est; pauca notavisse contentus ero.

Non defuerunt per totum seculum sceptici[1]; sed et adversarios multos scepticismus invenit[2] et magis magisque in dies germanae scientiae factus est quasi columen. De scepticis illis pernotis, Naudaeo, a Motha Vayerio, Baylioque, in promptu sit confirmare eos non solum eruditionis avidissimos fuisse sed — licet ethicis quaestionibus incubuerint superstitionique et vanis judiciis obluctandi munus assumpserint — physicis observationibus atque experimentis multum tribuisse[3]. Vayerius opusculum quoddam edidit cui hic inscribitur titulus : *Discours pour montrer que les doutes de la philosophie sceptique sont de grand usage dans les sciences* (1669). Naudaeus dignior est sane qui inter scientiarum fautores numeretur : « J'estime les labeurs de M. Gassendi à tel point que je le croy aujourd'huy l'unique subject que nous aions pour les sciences dont il se mesle et qui fait le plus de progrès en icelles[4] », scribebat Peireskio; et alias :

1. Nihil de scepticis eis dicemus cujus dubitationes eo valebant ut se totos in religionem immitterent — inter quos eminent Pascal, Poiret, Huet (V. Léon-G. Pélissier, *A travers les papiers de Huet*, p. 44). Cf. in Britannia Glanvill, in Austria Hirnhaym : *De typho generis humani, seu scientiarum humanarum inani ac ventoso tumore, difficultate, labilitate, falsitate, jactantia, praesumptione, incommodo et periculis tractatus brevis, in quo etiam vera sapientia a falsa discernitur...* (1676) : « Projiciamus omnem scientiam nostram, ait ille, in pelagus inexhaustum aeternae sapientiae ».

2. V., ex. causa, Silhon, *De la certitude des connaissances humaines* (1661); de Villemandy, *Scepticismus debellatus, seu humanae cognitionis ratio ab imis radicibus explicata; ejusdem certitudo, adversus scepticos quosque veteres ac novos invicta asserta; facilis ac tuta certitudinis hujus methodus praemonstrata* (1695).

3. V. de confabulationibus Gassendi cum Naudaeo et a Motha Vayerio, praeter Guidonis Patini et latinas Naudaei epistolas, Gassendum ipsum, *Op.* t. VI, p. 292. Ab ipso etiam tenemus Vayerium eum in dialogos — *Cassandri* nomine — induxisse. V. *Lettres de Peiresc*, t. IV, p. 472.

4. Tamizey de Larroque, *Lettres de Gabriel Naudé à Peiresc*, p. 83. V. *Ibid.*, p. 22, nonnulla de epigraphia et de libro quodam a Naudaeo excogitato, nunquam autem edito, *de Censura veri.*

« J'estime infiniment les labeurs de ce galand homme, nostre bon ami, qui avec son *Mercurius sub sole visus*, ses observations des Eclypses et autres semblables fait plus de progrès dans les sciences en trois feuillets de papier, que tous les autres ne font avec tant de gros volumes. Mais afin que vous et luy puissiez mieux reussir en ces recherches et de l'Eclypse principalement, il me semble qu'il seroit bon de se determiner à quelqu'une... ; et cependant concerter et deliberer de tous les lieux où il sera besoin de la faire observer... ; car cela estant, j'estime que vous pourrés avoir une vintaine d'observations asseurées, si principalement M. Gassendi vouloit prendre la peine de tracer une petite information de l'importance de ces observations, et des circonstances pour les faire exactes et asseurées, laquelle il m'escript qu'il seroit à propos de faire imprimer in *formam programmatis*, affin qu'on la peust envoyer à tous les Mathematiciens et Astronomes auxquels on escriproit pour ce subject, et par ce moyen il me semble que l'on pourroit conclure et venir à quelque chose d'asseuré [1].... »

Sorberius, quo nullus Gassendo devinctior fuit [2], saepe quidem male audiit, ut qui scepticus omnino ac versatilis fuerit [3]. « Je ne dis rien si affirmativement qu'il n'y faille tousiours suppleer le *peut-estre* et le *il me semble* [4] », declaravit ipse. Sed recentem hunc pyrrhonis-

1. *Lettres de Naudé*, pp. 73-74. Vide *Mascurat*, p. 189, de publica bibliotheca quam « disciplinarum incremento patere » voluit.

2. « J'ai ouï dire souvent à feu M. Bernier, mon bon ami, qu'il ne connaissoit que Sorbière qui eût été meilleur gassendiste que lui. » Graverol, *Sorberiana*.

3. « L'estime qu'il avoit conçue de Charron et de Montaigne étoit si grande qu'il ne pouvoit pas souffrir que Chanet, médecin de la Rochelle, eût parlé contre eux dans le livre qu'il avoit fait contre M. de la Chambre du raisonnement des animaux. » *Ibid.* Magni etiam faciebat Rabelaesum. — 4. *Lettres et Discours*, p. 693.

mum colendae prolatandaeque scientiae prodesse — quod Baylius, de physicis etiam, professurus erat [1] — manifestum omnimo fecit Sorberius. Etenim nullam non quasi delibavit scientiam munusque ab Haberto Monmorio accepit — cum Prataeo, alio ex interioris notae Gassendi discipulis — iis qui apud eum ad disserendum de scientiis convenirent quasi disciplinam constituendi : « M. de Montmor m'ayant fait l'honneur de me communiquer le dessein qu'il avoit de recevoir chez luy un certain nombre de personnes choisies pour s'entretenir de questions naturelles, ou d'expériences et de belles inventions, il me donna charge de faire un project de la manière en laquelle on pourroit former des conférences qui tournassent à l'utilité publique, aussi bien qu'au divertissement de ceux qui y entreroient. Je dressay avec M. du Prat quelques articles qui furent présentés à la première assemblée qui se trouva formée de bon nombre de personnes curieuses [2]... ».

Mersennus ille, de quo superius locuti sumus, rationi fidens, scientiarum studiosus, observata undique — ni-

1. « ... On ne voit pas que le pyrrhonisme soit guère dangereux par rapport à la Physique.... Il importe peu qu'on dise que l'esprit de l'homme est trop borné pour rien découvrir dans les veritez naturelles.... Il nous doit suffire qu'on s'exerce à chercher des hypotheses probables et à recueillir des experiences... » : his Baylii verbis sine dubio assensisset Sorberius. Vide *Dict.*, art. *Pyrrhon*, note B. De Gassendo vide art. *Epicure*, *Leucippe*, *Peiresc*, *Pyrrhon*.... — Inter mss. Baylius *Cursum Philosophicum* reliquerat, ut Des Maizeaux testatus est : « Ce cours de philosophie est divisé en quatre parties : la logique, la Morale, la phisique, et la Metaphisique. Dans la logique, M. B. expose les raisons que nous avons de douter de beaucoup de choses; et en même tems il fait voir qu'il y a plusieurs connoissances qui ont tout ce que requiert la science..., et que par consequent il y a une science. Dans la phisique il recherche les causes des phenomenes, et les explique avec beaucoup de netteté et de précision. » *La vie de M. Bayle*, in *Dict.* (ed. 1734), t. I, p. CV.

2. *Lettres et Discours*, Lettre à Hobbes, fév. 1658. De Monmorii academia, v. Huetium, *De rebus ad eum pertinentibus* III, p. 68; Kerviler, *le Chancelier Séguier*.

mia nonnunquam cum credulitate [1] — colligens, multo ante Sorberium Academiam quamdam ad scientiam promovendam instaurari optaverat : « Je voudrois que nous eussions une telle paix que l'on pût dresser une Académie non dans une seule ville comme l'on fait icy et ailleurs, mais sinon de toute l'Europe, du moins de toute la France, laquelle entretiendroit ses communications par lettres, qui seroient souvent plus profitables que les entreparlers où l'on s'eschauffe souvent trop à contester les opinions que l'on propose, ce qui en destorne plusieurs [2] ».

Maximam attendebant operam institutaque varia excogitabant plurimi ad opus illud exsequendum : « l'avancement des sciences et des lettres [3] ». Inter tot viros Peireskius Puteanique fratres valde eminent, quorum hic merita recensere non expedit. Quanta necessitudine Gassendo Peireskius obstrictus fuerit satis *Peireskii Vita* testatur, simulque quo hic ardore flagraverit omnia sciendi, cum doctis totius orbis commercium habendi, quidquid scientiae proficere posset et sibi comparandi et cuicumque communicandi [4]. « Son commerce de lettres

1. V. *Lettres de Naudé*, p. 52. — 2. Tamizey de Larroque, *Lettres de Mersenne à Peiresc*, p. 132; 15 juillet 1635.

3. « Les divers avantages qu'ont receu les sciences par le soin de ce grand zelateur de leur avancement (Peiresc) », ait Capellanus, qui Peireskium alias « heros de lettres » et « promoteur des sciences » vocabat (Tamizey de Larroque, *Lettres de Chapelain*, t. I, pp. 162, 560, 561. — Cf. *Lettres de Luillier*). « Je veux estre votre disciple assidu », scribebat Gassendo Capellanus idem, « non seulement dans les vérités théologiques, mais encore dans les descouvertes de la nature que ce siecle doit à votre esprit et à vos travaux », t. I, p. 172.

4. « Ita nobilissimi et sua fama majoris hominis praeclaram indolem, ngenii vim, memoriae felicitatem, *inexhaustam discendi cupiditatem*, in scientiis et disciplinis illustrandis, ab erroribus vindicandis, et compendiosiori via explicandis indefessum studium, ita miram in naturae miraculis explorandis variisque experimentis probandis diligentiam, ita generosum opum contemptum, morum innocentiam..., ita, inquam, hominem ad verum exprimit (haec Vita), ut Peireskium audire et praesentem contemplari mihi viderer... » Gassendo Antonius Godeau; *Lettres de Godeau*, p. 150.

embrassoit toutes les parties du monde : les *experiences philosophiques*, les raretez de la nature, les productions de l'art, l'antiquariat, l'histoire, les langues étoient également l'objet de ses soins et de sa curiosité [1] », scripsit de Peireskio Baylius; atque hoc tantum ille sibi proponebat, ut luculenta Mersenni verba proferam : « ayder de tout *son* pouvoir à faire valoir le talent d'un chascun et à faire paroistre *la portee et l'estendue de l'esprit humain* [2] ».

Licet omnes notiones avidissime hauserint Puteani fratres, eruditioni praesertim, historiae, philologiae, indulserunt. Apud eos Gassendus et auctoritate magna vigebat et instrumentorum copiam ad humaniora studia inveniebat. « Quant à M. Gassendy — scribebat Peireskius anno 1632 — j'auray de la peine de croire qu'il puisse quitter Paris, que je ne sache qu'il en soit esloigné d'aultant que nous en sçaurions estre esloignez d'icy, tant j'estime fort les charmes de l'*Academie*, et la douceur de

1. *Dict.*, art. *Peiresc*. « Quidquid librorum, gemmarum, iconum, numismatum et caeterorum id genus, summa cum diligentia nullisque parcens sumptibus, in unum colligere potuit, injuria temporum vel alio casu distrahi facile potest : sed tu omnia in tuto collocasti cum ita accurate de singulis posteros voluisti certiores facere. » Gassendo Antonius Godeau, *op. cit.* — De Peireskii musaeo et bibliotheca, de bibliothecis musaeisque plurimis (*cabinets*, *études*) quae maximi tunc momenti fuerunt, non hic disserendi locus est. « La bibliomanie (comme disoit feu M. Patin) a été une des maladies de ce siècle : chacun par un luxe curieux, *studiosa luxuria*, a voulu avoir des livres et former de grands corps de Bibliothèques.... On a envoyé pour cela non seulement dans toute l'Europe, mais aussi dans l'Orient, pour découvrir des livres très anciens et des manuscrits rares. » Vigneul-Marville, t. I, p. 46. V. P. Arbaud, *Peiresc bibliophile*; Bonnaffé, *D*^re^ *des amateurs français du XVII*^e^ *siècle*.

2. *Lettres de Mersenne*, p. 159. « Le principal but de toutes mes recherches ne tend qu'à aider le public, ou à en faire part à ceux qui en peuvent estre curieux, et qui en peuvent mieux faire leur proffit que moy », Peireskius P. Morino : v. Léopold Delisle, *Un grand amateur français du XVII*^e^ *siècle* (p. 12). Cf. Tamizey de Larroque, *Notes inéd. de Peiresc sur quelques points d'hist. nat.*, *Petits mémoires inéd. de Peiresc*; Ruelens, *F. de Peiresc et ses correspondants en Belgique*; *Recueil* Remondet-Aubin; ac praesertim Tam. de Larr., *Lettres de Peiresc* et *Correspondants de Peiresc*, Gassendique *Epistolas*.

conversation de tant de galandz hommes, avec la commodité de voir toute sorte de bons livres qu'on sçauroit desirer, dont je faicts tant de cas que pour quelque intherest que j'y peusse pretendre en mon particulier, je n'ozerois meshuy souhaitter qu'il vinsse perdre du temps de pardeça pour ressentir les incommodités d'un poisson hors de son element [1]. » In Thuana scilicet, deinde in Regia bibliotheca, Puteani doctos coetus habuerunt. « Coeptus fuit primus eruditorum conventus anno 1616 apud Thuanum, Parlamenti Parisiensis Praesidem. Institutum aliud non erat nisi quod eruditi, quibus libera accedendi facultas, stato tempore convenirent, et quaestionibus de variis rebus ad eruditionem et litterariam rem facientibus invicem dissererent. Hoc licet anno 1617 mortuo, Puteani tamen fratres in ipsius aedibus ad annum 1643 usque continuarunt. Iis autem Puteanis fratribus, Petro et Jacobo, post Nicolai Rigaltii secessum, bibliotheca regia cum esset demandata, in eamdem quoque hos eruditorum conventus transtulerunt. Post horum obitum, in aedibus Thuani junioris primum continuati (Ismaele Bullialdo praeside), postea apud D. de Salmon, atque hoc, anno 1680, defuncto, apud D. de Viluault, Consiliarium Regium et supplicum libellorum magistrum [2].... »

E privatis eis coetibus, quos nunc omnes ad calculos

1. *Lettres de Peiresc*, t. II, p. 338.

2. Struvius, *Introd. in Notit. rei litterariae*, p. 901. V. *Lettres de Peiresc aux frères Dupuy*; L.-G. Pélissier, *les Amis d'Holstenius* : II, *les frères Dupuy*; *Arch. curieuses de l'Hist. de France*, II$^a$ ser., t. XI; La Bruyère, ed. Servois, t. I, pp. 547-549, not. de academia illa sive *cabinet*; Léopold Delisle, *le Cabinet des manuscrits...*; Uri, *Fr. Guyet, un cercle savant au XVII$^e$ siècle*. In Rigaltii *P. Puteani vita* nomen invenias eorum qui constituebant « la bende sacrée » (Tam. de Larr., *Lettres inéd. de Ph. Fortin de la Hoguette*, p. 186). Apud Gassendum, — in *Peireskii vita*, — Sorberium, — in *Gassendi vita*, — Hilarionem de Coste, — V. *la Vie du R. P. Marin Mersenne*, — indices doctorum virorum locupletes reperire est : hoc enim temporis moris erat defunctorum amicos in elogiis recensere.

vocare nequeamus, ortae sunt academiae illae quibus mandatum est publice munus humanae mentis terminos promovendi. Tot virorum qui sive physicis sive humanis rebus indagandis sese dedebant, tot coetuum qui reperta undequaque colligebant, Gassendus quasi communis conscientia exstitit[1]. Hic quidem pro multis philosophatus est : per eum scientiae finis ac summa humiliores veritatis ministros non omnino fugit. Lucem ac decus in umbratiles minutasque operas projecit. Eam philosophandi methodum, felicius quam antecessorum ullus, excogitavit atque tenuit quae cunctis e meditationibus, observationibus, experimentisque et investigationibus hominum, e scientiis litterisque simul universam conficiat, nec non in dies emendandam, doctrinam, — vel potius quoddam, ut Gassendi ipsius usurpem vocabulum, *Syntagma*[2].

1. « L'excellent esprit de Gassendi, en s'emparant de l'érudition, l'a ramenée à sa destination véritable.... C'est... un service éminent rendu par Gassendi d'avoir enseigné à éclairer l'érudition et la philosophie l'une par l'autre.... Gassendi, en classant les diverses branches des connaissances humaines, les a réunies en un seul corps. » De Gérando, *Histoire comp. des Syst.*, II^a part., t. II, pp. 99, 100, 108. Verulamius quidem praecepta potiusquam exempla dedit. Cartesii philosophiam scientias promovisse satis constat : eruditionem vero flocci faciebat et, plurimum meditationi anticipationique tribuens, illud fovit quod Sorberius aliique vocabant « des romans de la nature » (V. gallicam thesim).

2. Cf. contra Port-Royal : « On se devroit servir des sciences comme d'un instrument pour perfectionner sa raison ». *Logique*, 1^er discours.

FINIS

# INDEX CAPITUM



Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
Kal. jul. ann. MDCCCXCVIII.
*Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi*
*Decanus,*
A. HIMLY.

Typis mandetur.
*Academiae Parisiensis rector,*
GRÉARD.

Columbariis. — Ex typis PAULI BRODARD. — 912-98.

COLUMBARIIS
Ex Typis Pauli Brodard.